







DE
GEMMIS
1547









A. Belli

28 Novembre 1878.

L. 1. 6.

DE GEMMIS ALIQVOT, IIS PRAESERTIM QVARVM DIVVS Ioannes Apostolus in sua Apocalypsi meminit.

De alijs quoque quarum usus hoc æui apud omnes percrebuit, libri duo Theologis non minus utiles quàm Philosophis, & omnino felicioribus ingenijs periucundi, è non uulgaribus utriusque philosophiæ adytis deprompti, Autore Francisco Rueo Doctore medico Insulano.



PARISIIS,
Ex officina Christiani Wecheli, sub Pegaso, in uico Bellouacensi. Anno
M. D. XLVII.

ALARDVS RVEVS ETIAMNVM
puer, Patris obſequendißimi libellum
Lectori commendat hoc
Elegiaco.

Qui legis inuiſi conuiuia cruda Thyeſtæ,
Diſærptúmque uagis curribus Hippolytum,
Oedipodémque oculis captum, ſtructámque uenenis
Medeam, regum belláque ficta legis:
Qui legis Harpyias, Centauros, Gorgonas, Hydrã,
Quid niſi monſtra, precor, prodigioſa uides?
Talia quæ cruciant animum male ſana facęſſant,
Quæq; uirum ſapiant perlege ſcripta Patris:
Hic uim gemmarum tractat, quæ cognita longè
Illarum uincit commoditate decus.

Eiuſdem ad Patrem integerrimum,
Epigramma.

Ecce pater uolitant totum tua ſcripta per orbem,
Docta per æternos ſcripta legenda dies:
Nempe tuo exemplo me noſtrum nomen in auras
Spargere uis, tutum nunc mihi pandis iter.

ILLVSTRI VENERANDOQVE DOMINO D. BALduino D'ognies, sacrosanctæ sedis Apostolicæ protonotario, D'estrées cognominato, Domino suo longè colendißimo Franciscus Rueus S. P. D.



CVm ego ab ineunte ætate, Domine omnium mihi obseruandißime, apud me reputo, diuum illum Platonem Philosophorum omniũ facile principem, nos nõ ab re cõmonuisse, neminem sibi soli natum, uerum nostri partem sibi patriam, partem amicos, partem parentes uendicare: Homini in literaria palæstra ab incunabilis enutrito prorsus indignũ existimaui, nihil è uitæ suæ studijs posteris relinquere, quo & animi sui ad eos testetur propensionem, & suæ industriæ specimen aliquod transmittat. Nec prorsus alia ratio occurrit, qua quis, præsertim non omnino amusus, de illis optimè mereatur, quàm si pro ingenij sui uiribus rem promoueat literariam. Neq; enim uerum splendorem ciuibus aliqua unquã attulit ciuitas aut generis origo, sed contra uel uirtutes ipsæ, uel in sciẽtia, aut in artibus præstantia famam ciuitatibus, parentibus necessarijsq; pepererunt. Nam & de Mose suo Iudæi, de Homero suo Græci, de Hippocrate suo Coï, de Aristotele suo Stagyrẽ-

ſes, de Galeno ſuo Pergameni, de Plinio ſuo Vero nenſes, de Virgilio ſuo Mantuani, non iniuria hactenus profectò gloriantur. Quos, unà cum reliquorum clarißimorum uirorum turba, palam eſt uaſtißimis pernicibúſque laboribus ſuo ſingulos ſolo gloriam contuliſſe immortalem. Ad horum itaq; imitationem nequiui reuera ingenij noſtri neruos non intendere quò de felicißimis his Inſulis, hoc eſt de urbanißima atque firmatißima communi hac noſtra ciuitate bene mererer, & cognatis atque neceſſarijs meis gratificarer. Maximè uerò poſteris ſtudij mei exemplum aliquod dimitterem, quo & literis iam undecũque uelut è limpidißimis fontibus ſcaturientibus laſciuientibúſque quippiam attuliſſe, uel ſaltem exoptaſſe commodi, & philoſophiæ ſtudioſos nonnihil uel iuuiſſe, uel omnino exciuiſſe apparerem. Neque enim uideo quid homini decorũ magis ſit quàm & genus proprium uirtutibus illuſtrare, et plurimis prodeſſe adniti. Verumenimuerò dum hæc animi noſtri tantum non auidior affectio ad officium haud ſegniter nos inuitaret protruderétque. Pugnabant ex diametro & uehementer renitebantur cùm tenuis noſtra Minerua, modica lectio, obſcurior dicendi fœcunditas, tumultuaria ſeriáque, tum publica tum priuata mea negotia, quibus penè perpetuò ut Homolotorũ bos tantum non diſſecor obruórque, tum in publico hoc theatro conſeſſus eruditißimorum oculatißimorúmque uirorum non infrequens. Efficacius tamen obſiſtebant

stebant nasutorum infinitæ propemodum myriades qui quæuis non sua, iure uel iniuria Cerberino, ceu ad maledicentiam enato dente, corrodere & calumniari perpetuò tentant: ingenito uidelicet uitio quo in alieno labore malint apparere, quàm erudiendo alijs emolumenti quippiã adferre. Vix enim inter eos qui literatorum nomen aucupantur frequentius hoc æuo, malum inuenias, detestabili multum eo liuoris genere quo ij qui promptiores sese exhibent alienis sudoribus tenuandis, uel etiam si quoquomodo ualeant penitus obliterandis, inertes inutilesque magna ex parte desident: uel hoc solo satis superque, sibi ac suo nomini consultum rati, si aliorum labores criminentur, uel apud sui similes ignauos, desides de scientia sese uenditare queant. Qui si è tenebris quandoque prodirent nemini non perspicuum foret, quàm momi illi futili disciplina turgerent. Metus quoque erat ne si quid apud meos famæ, iampridem forsan nactus essem, corui illius apud Apuleium instar dum me uocalem, præmaturo rictu croatando, præbere conarer, in superciliosas uulpeculas illud traijcerem, pariterque temeritate & mei clangoris rusticitatem ostenderem, & conquisitã uel saltẽ persuasam mihi prædem amitterem. Dúmque eapropter timor & uerecundia nostrum penè excluderent officium, surrepsit è uestigio Annei illius Senecæ non minus lepida quàm grauis sententia, qua homini seni fœdius esse nihil dictitabat, quàm sola prouectiori ætate diu ui-

xiſſe commonſtrare poſſe. Proinde aliquid in philoſophia tentare omnino conſtitui, unde nec poſteritatem, nec meos neglexiſſe manifeſtarẽ. Quam hercle prouinciam eo libentius inij quòd totam propemodum uitam in illa non minori uoluptate quàm conatu inſumpſerim. Porrò factum eſt ut dũ nonnihil de hominis principijs et ad ſyncceram medicinã utilibus ac neceſſarijs inſtitutionibus meditarer, Antiſtes Laudenſis, non minus uitæ ſanctimonia quàm literis clarus, crebris admonitionibus apud me impetrauit ut de gẽmis, ijs præſertim quarũ Diuus Ioannes Apoſtolus in ſua Apocalypſi meminit, déque ijs quarum uſus uulgò percrebuit, quaſdem ei lucubratiunculas conſcriberem. Allato igitur nouo argumento, & à uiro cui quicquam denegare indignum iudicabã (ſepoſitis ad tempus prioribus noſtris meditatis) uelis equiſque ad id contendi, quò illius precibus pro uirili ſatisfacerem. Cui profectò muneri obeundo alacriorem me præſtiti, quòd noſtra hæc molimina nõ medicis tantùm uerumetiam diuinarum bonarúmque aliarum diſciplinarũ profeſſoribus, atque adeò eruditis uiris uſui futura proſpicerem. Neq; ego hîc admitti uelim Galenomaſtigas illos, qui ad ſuam negligentiam, ne dicam ignauiam, cæterorum ingenia hominum expendentes, aſſeuerare non dubitant Galenum illum medicorũ à diuo Hippocrate citra cõtrouerſiam principẽ, in rebus medicis haud multum exercitum. Vel hoc deluſi errore quòd multa edi-

derit

derit uolumina, quasi sciliæt non liæat & facto & scripto medicinam uel philosophiam pertractare, nec non rarò in literis testatum reliquerit Galenus ipse quàm ægrorum onere præpeditus à libris longum etiam tempus neæssario abstinuerit. Quæ à nobis mediusfidius relata fuere, quod hac tempestate non pauci sunt, qui non dißimili inscitia ac petulantia, tum se doctos ostentare putant cum sine delectu nullóque iudicio peritißimos quosque suis maledictis aspergunt. Veruntamen faceßat nobis tumida, inanis ac maledica illorum garrulitas insaniæ proxima. quæ enim, Apuleio teste, facilior res quàm linguæ rabies? Atqui caueo ne nunc alio me properantem sermo hic diutius distineat, in diuerticulum itaque redeo. Dum igitur totus absoluendis illis nostris monimentis inhio, Ecce mors, quæ nullis minus quàm optimis uiris parcere nouit, Præsulem illum Nestoreis annis dignum, atrocißimo morbo correptum, nobis profecto inuitis abripuit. Quamobrem de absoluendo opere animum ferè despondi, quum eum nobis Atropos inuida sustulisset, qui me ad susceptam functionem indefeßè sollicitabat: anhelarémque magis priora perficere, nescirem etiam si cui hæ nostræ placerent musæ. Tum uero, quo duce genio ignoro, sese illico insinuauit assueta nobis multum tuæ in nos humanitatis periucũda recordatio, quámque meas magni solitus sis facere nugas. Qua demum, ueluti æthereo quodam igne subitò irrepente

 succensus,

ſuccenſus, dici nequeat quàm flagranti & ceu rediuiuo quodam deſyderio animum ad priſtinas remiſſáſque curas reuocaui, & ut ad umbilicum ducerentur accingi cœpi. Neque enim de nihilo mihi gratulabar oblatam eſſe occaſionem literarum quippiam tuæ dignitati nuncupandi, eos inſequutus, quibus cùm ſuffragandi facultas deſit dominis ac amicis ſaltem bene ſentiendo & ſcribendo ſtudioſè adnituntur gratiam aliquam referre. Quod & Terentius in amicorum officijs obſeruandum eſſe literis prodidit. Mihi proinde certiſſimè perſuaſi quòd noſtrum hoc in clariſſimum tuum nomen expenſum officium non tantum non aſpernareris, ſed qua erga nos doctóſq; omnes eſſe conſueſcis beneuolētia magis magiſq; cōtinuò amplectereris. Ad id autem noſtrum firmauit iudicium Heracliti illius perelegans dictum, quo uilioris domunculæ aditum ampliſſimis etiam uiris non aſpernandum, lepidè iuxta ac comiter oſtendit. Is enim furnariam humilémque caſam ingreſſus, & à ſuis inuentus ad ignem diutius conſediſſe, uidens eos pudere quòd ad obſcuriorem domū diuertiſſet, ſubridens, introite, inquit, ſunt enim & hîc etiam dij. Hoc itaque apophthegma noſtro huic inſtituto non mediocriter arridere contueor, ſcilicet ut tametſi curta nobis ſupellex & ex agro muſa ſit, quod tamen in hoc noſtro libello dij inſint, id eſt, diuinæ uirtutes Gemmis à ſummo deo conceſſæ prædicentur, futurum ratus ſum ut quamuis illuſtri genere, nec

eo

eo quidē mediocri ſis, & in Chriſti Ieſu eccleſia non uulgaribus dignitatibus præcellas, longè ampliſsimis dignus, noſtra hæc tibi placeant, & plurimis utriuſque philoſophiæ ſtudioſis, tantúmque & apud tuam prudentiam & apud illos habeat utilitas excuſationis, quantum rei dignitas difficultatis. Quòd ſi noſtra hæc neque ad Critolai libram expenſa ſunt, neque Cleantis lucernam redolent, adniſi tamen non inſtrenuè ſumus ut diuinæ & naturali philoſophiæ inhiantibus commodi quippiam adferremus. Qua de re nullam nobis dubitandi occaſionem ſuſpicamur, quinimo exploratum habemus, tuam in nos facilitatem & ad optima quæque intrepidam promptitudinem noſtras has ex illius arctiſsimis apicibus præceptionibúſque multa peruigilique ſollicitudine depromptas literarum primitias obuijs, ut aiunt, ulnis accepturam. Neque uitio nobis uerterit quiſpiā quòd poſt multos eóſque celeberrimos autores C. Plinium dico, Theophraſtum, Ariſtotelem, Dioſcoridē, Hermetem, Solinum, Albertum magnum cùm nonnullis alijs eruditiſsimis uiris, aliquod huic diſputationi lumen attexere in animum induxerimus, ubi præſertim iuſta æſtimatione perpenderit, bonam illorum partem (uerbis omnis abſit iniuria atque arrogantia) obſcurius admodum, promiſcuè alios & confuſius, alios uero prolixius, ne dicam cum maiori ſuperſtitione, quàm uiros, atque philoſophos Chriſtianos obſeruare deceat, de lapillorum generibus, naturis,

&

& uiribus ſcriptitaſſe. Quum itaque, uel Ariſtotele autore, miſeri ſit ingenij inuentis nihil addere poſſe, uel reperta collustrare non ualere, uiſum eſt nobis potius ſubeundum periculum cenſuræ proborum uirorũ, uel ſi fors ita tulerit uitilitigatorũ, quàm hominis ingrati, ociosi, inertisq́ notam. Ratus quippe ſum uel ideò non ineptam cauſam in promptu me habiturum, quòd philomuſis pro uiribus auxiliari non detrectarim. Optarem Hercle, D. animo meo longè ſuſpiciendiſſime, meliorem gratiam, grauiorem quoque dicendi maieſtatem acceßiſſe rebus his quibus nomen tuæ amplitudini cogito paró ue perpetuum. Sed quòd dijs etiam lacte ruſtici ſupplicant (ut uerbis Plinianis utar) & mola tantum ſalſa litant qui non habent thura, tuæ erit prudentiæ & in nos benignitatis, æquo animo, hilariq;, quod dicunt, frõte, hoc quicquid eſt, in tui atque eruditorum contemplationem iamiam abſolutæ noſtræ fœturæ ſuſcipere. Accipe igitur, ſpectatißime Domine, has tuo nomini conſecratas, feliciſſimisq; tuis auſpicijs manumiſſas lucubrationes, imo qualemcunque addictißimæ noſtræ in te deuotionis arrabonem. Illásque à ſeueris illis calumniatoribus, qui, Apuleio teſte, melioribus malunt obtrectare quàm eos imitari, illuſtrißima tuæ celſitudinis dexteritate uindica: neque enim ijs tantum energiæ puto acceſſurum ut omnibus etiam doctis gratæ uideantur, ſcio nanque quàm multiplex capitum diuaricatio diuerſos pariat ſenſus.

ſus. Vt hinc uix aliquis è tot ſuperioribus ſeculis unquã extiterit autor qui aduerſarijs caruerit, ijs maximè qui obtrectatione alienæ ſcientiæ famam ſibi uenantur. Hoc unum tamen ingenuè prætexam, me ſaliæt peritorum reprehenſionem uſqueadeò non metuere, ut etiam eorum iudicium ultro implorem exoptémque: neque enim me aliquando pudebit diſcere, quin ſemper paratus ero melioribus, eccleſiæ & rationi cedere. Quòd ſi noſtrum hoc munuſculum tuæ pietati acceptum intelligam, erit unde uehementer gaudeam, & ad maiora tandem nos excitaueris, firmaueris quoque. Bene uale in eo qui eſt omnium uera ſalus, qui & uerus lapis eſt factus in caput angularis pinnæ: largiatur quoque tibi Chriſtus is Opt. Max. cum ſanitate felicißimos annos.

Inſulis ipſis, Calendis Auguſti, 1546.

AD CANDIDVM LECTOREM EPISTOLA purgatoria, καὶ ἀπολόγημα.



Olent coram iudice non satis spectato causam non leuem dicturi, Candide lector, eius imprimis animum uerborum ac prooemiorum quodam lenocinio delinire, orationis illecebris uenari, ac mellitæ dulcedinis quodam illicio illius æstimationi integritatis suæ fidem facere, ut ad suas parteis ipsum qui sententiam ferre debeat utcunque poßint inclinent, prius quàm apud eum deducendam rem adgrediantur. Hoc mihi profecto maximè nunc obseruandum foret, de rebus arduis & nonnullis utriusque, diuinæ inquam ac humanæ philosophiæ apicalis, in communi hoc clarißimorum peritißimorúmque uirorum coetu, apud te disceptaturo, nisi ea te prudentia, ea rationis, perspicacitate ac dexteritate, eo rerum usu præditum esse sperarem animaduerterémque (non enim amusis aut zoilis liuidißimis scribo) ut non ante sis iudicaturus, quàm caussæ ipsius basim, id est ueritatem ipsam teneas: tenebis autem (ni me omnia fallant) ubi primam hanc nostrarum lucubrationū partem prægustaueris. Scio nanque qui dicat ueritatem esse fortißimam, ut mihi

pro

pro ea dicturo atque decertaturo, nihil apud tuam prouidentiam metuendum ſuſpicer. Præſertim quum, autore Menodoto, comitem ſeſe præbere conſueſcat Mercurius ijs, qui pro ſuo officio ſacra deo ipſi facere adnituntur, ut ne per ſcopuloſa quidẽ maria aut periculoſos æſtus ſeruos deſerere conſueuerit ſuos. Cuius fidem facit indubiam quod de Ariſtippo uiro cum primis docto ſcribit idem Menodotus. Is ſiquidem cùm tam infauſtè nauigaſſet, ut naui uaſtiſsimis tempeſtatibus, undiſque pernicibus diruta, in Syracuſia littora deiectus eſſet, uiſa fortè in arena deſcripta quadam Geometrica figura, fiducia fretus quòd non ad inſcios barbaros, ſed ad literatos uiros depulſus eſſet, bono animo Syracuſas ingreſſus eſt. Atque ubi in gymnaſium ueniſſet, in hunc ſenſum occinere cœpit:

Mercurius ſuis fidus & ſedulus adiutor.

De Ariſtippo egregium apophthegma.

Quis uagum atque errantem Oedipum
Hodie raris excipiet muneribus?

Quod ubi auditum eſt, habuit extemplò non paucos qui gratulabundi occurrerunt, & ſalutationibus exceptum præſtantem illum uirum, ſed tunc fortunis ſpoliatum externis, neceſſarijs donarent. Quamobrem rogatus aliquando, num quid familiam ſuam Cyrene relictam uellet: ut ea (reſpondit) ſibi parare curent quæ cum poſſeſſore in naufragio enatent. Tantillum igitur itineris rudi ac ſimplici iſthac narratione permenſi, pedem hîc figamus breuitatis ſtudium appetere uidetur. Eiuſdem igitur ueritatis rate mox in al-

tum

tum disputationis mare uehendo, iucundáque aura, neque infenso etiam Mercurio nauigaturo, argumenti nostri rationem quantocius inire libet. Rogauerat itaque me anno superiore uenerandus in Christo Pater & D. D. Dionysius Vuatrelosius abbas Laudensis, doctrina uitæq; sanctimonia clarus Antistes, ut ei quippiam scriberem de naturis & uiribus gemmarum, earum præcipuè quarum Diuus Ioannes in sua Apocalypsi commeminit, & quæ uulgò ex usu sunt. Precibus igitur crebrisq; illius monitis deuictus parui, prout tumultuaria mea negotia siuerunt: ac lucubratiunculas aliquot, breues certè, uerùm non omnino iniucundas inutilésue (ni fallor) eius paternitati conscripsi. Nunquam reuera suspicatus illas aliquando in publicum prodituras. Verum enimuerò mea me fefellit opinio: cùm nanque idem D. qua beneuolentia erga nos hominésque peritos esse solebat, non tam pro illarum meritis, quàm pro urbanissimi ingenij gratuita probitate, illas laudat et plurimi æstimat, ac se qui nos ad id pensi laborisq; promouerat, cum libello ipso æternitate dignum forsitan iudicat, necnon sacrarum literarum studiosos à densissimis, quæ in illis uisuntur, nubibus uendicare studet, uixdum semel atque iterum perlectum typographo, me etiam inconsulto sollicitius curat tradi: ratus & thesaurum, & diutius non celandum. Atqui ubi illum tandem typis excusum, Præsule illo ostendente, uidi: obstupui non parum,

ut

ut qui omnium oculis ac superciliјs expositum cernerem, quod uni, & eo mihi familiarißimo Domino ac amico scribere cogitaram, ut qui etiam meam tenuitatem agnoscerem: neque nescarem quàm multò periculosißimum esset, hoc æuo, tot perspicacißimis oculis spectandum me hominem intra proprios etiamnum lares uix bene cognitum, in commune exponi theatrum. Cœpi tum, serius licet, apud me dolere, quòd tam incautus immaturas illas lucubrationes inexcultásque manumisissem, nimiæque meæ celeritatis & facilitatis pœnitere. Subibat nanq; in mentem quàm uarijs distractus tumultuosißimis negotijs, illas succisiuis ac furtiuis etiam horis & ueluti dædalio (ut aiunt) remigio coëgissem. Neque præterea nesciebam quàm canis festinans cæcos parere consueuerit catulos: scriptúmque à Sapiente esse, sapientiã in otio scribi debere. Ego quippe domini illius crebris pulsus exorationibus, coactus fueram duobus eas plus minus mensibus, furtim etiã absoluere, & uixdũ obtusam limã expertas illi Præsuli tradere, studiosius profectò elimaturus, si publicandas aliquando, putassem: aliter nanque uni, aliter omnibus scribitur. Veruntamen, quando quod factum erat infectum fieri non poterat, utcunque ferendum rebar: hoc inopinato euentu doctus rebus meis prudẽtius in posterum prospicere. sedenim anxietati meæ inexpectata mox accreuit difficultas. Siquidẽ dũ illius paternitas ægerrimè ferre se asserit,

cùm

cùm quòd nec forma nec characteribus placeret libellus: tum quòd quidã (cuius nomen non ab re conticendũ duxi) aliquot à se uocatis conciliatorijs theologicisq; assertionibus, nonnihil libello meritæ commẽdationis nisus adimere uideretur. gelidus primum mei totius corporis extrema, dein uerò & intima pauor occupauit: magnopere nanque metuebam (ubi maximè hominis professionem intellexi, ne improuidus quippiam lucubratiunculis nostris inseruissem quod sanctißimæ catholicæ nostræ fidei esset aduersum. Qua nanque ratione suscæptam atque hactenus comprobatam Christi Ecclesiæq; fidem Deo Opt. Max. autore sic perpetuo colere decreui, ut ab ea ne latum quidem unguem unquam discedere constituerim: ita nemini quoad poßim scandalo esse uelim, uel prauæ cuiuspiam doctrinæ autor. Festinaui utique opusculum sedulo recensere, perpendo equidem in eo de rebus sacris aut fidei egisse me nihil, præterquàm quòd Diuum Ioannem in sua Apocalypsi tredecim Gemmarum meminisse præfatus fueram, quas etiam ex ordine ibi descriptas cerno. Quod autem reliquum erat nihil prorsus sacrarum literarum sapere animaduerti, solam autem omnia uideo subolere naturalem philosophiam. Sedenim inter legendum plurimis libellũ mendis sparsim scatere, sensu etiam nonnunquã uariato, perspicio. Propero ijs de rebus meo exemplari, manu etiam propria scripto illum conferre, uideóque locis non raris ab priori sua origine

gine opusculum euariare, adeóque etiam plus minus integram pagellam ademptam esse adnoto. Cuius autem negligentia (ne dicam perfidia) uel qua tandem occasione, deo cordiũ ac renum perscrutatori, proborum quoque omnium iudicio relinquo. Quapropter condonata hac iniuria, modestius suspicari, & ad id delicti conniuere decreui, hoc est malorum illorum autorem mihi, & illius honori consulturus ignorare uelle. neque enim nescio quàm ab Hydra capitosa etiam Herculi timendum sit. Quanquàm, ut Apuleij sententia est, insimulari quiuis innocens possit: reuinci nisi nocens non poßit. forsitã enim uel ipse Harpyiæ, ut Phineas dapes aliquando suffuratæ sunt, ita & illa è libello nostro diripuere. sed hæc missa. Posteaquàm itaque lucubrationes illas perlustrassem, incœpi & theologicas illas uocatas propositiones cursim primùm percurrere & ceu per transennam deglubere: deinde uerò diligentius examinare. Quod ubi semel atque iterum quanta dexteritate potui effeci, dici nequeat quæ nos de hoc homine alioqui non indocto incesserit admiratio. Quum nempe nihil tam ex officio uideatur theologum decere, hoc præsertim æui, quàm de Deo propriJßimè, certè & citra omnẽ fucum ut sentire, sic & docere, uel si libet edicere, nescio qua ingenij oscitantia (hominis pace dictum uelim) sententijs nobis obstrepere uidetur ignoro quàm sincere christianis theologicis ue. Qua de re, ne cui sit de nostro sensu, fide et

animi conceptu (de quibus fortaßis cenſor ille non pro noſtris meritis, ſed uel leuißima uel nulla occa-ſione uiſus eſt ambigere, aut de eius aſſertionum te-nore, pondere & eruditione dubitãdi relictus locus, quid de conciliatricibus illis ijs affirmationibus ſen-tiam proferre nõ pigebit. Hoc unum præfatus, quòd non hominis laceſcendi aut inſimulandi gratia, ſed ut pro ſuo zelo ueritati, nobis, ipſi & proximo pro-ſpectũ ſit, hæc ſcribere nos. Neq; enĩ ea mihi placet ſcribendi effrenata libido (ne dicam temeritas) qua nonnulli diuerſum quàm ipſi ſentientes ita quidem iurgijs inceſſunt ut proprijs affectibus quàm philo-ſophiæ ac ueritatis indagationi, nomini proprio uel etiam paci conſulere palam uideantur. ſed ne ſu-ſceptum argumentum præmaturè deſeramus. Miror ego profectò quid uirum hunc ad id adegerit ſcrupu-li, ut nos aut eos ad quorum manus noſtra illa me-ditata quandoq; peruentura iudicabat, ignorare cre-

Examinatur prima cenſoris aſſertio.

deret Deum ipſum omnipotentẽ eſſe (hoc enim pri-ma ſuarum aſſertionum confirmat) nullis etiam ſuis creaturis obnoxium. Si nanque cuiquam à ſe creatæ rei ſubderetur, uel hoc ipſo ſummus, ſupremus cun-ctipoténſque eſſet minimè. Quẽ tamen omnes crea-turas antecellere, adeóque omnia poſſe, non ſacris e-loquijs modò, uerumetiam uel plurimis nos philoſo-phis docentibus, iampridem perſuaſi ſumus. Certè

Xenophon de Deo.

inter alios Xenophon ille Socraticus, Grylli filius, ita infit, Qui cuncta concußit, ipſe inconcuſſus, intre-

pidus,

pidus, magnus nimirum potẽſque cognoſcatur. Diuus autem Plato in Repub. aſſerit creatas ac genitas res non hoc ſolum à bono (id eſt deo) habere quòd genitæ ac creatæ ſunt, ſed ipſum quoque eſſe, ipſámque ſubſtantiam, quum ipſum bonum nequaquàm ſubſtãtia ſit, ſed ultra ſubſtantiam dignitate ac potentia longe abeat, non eadem ipſe qua & creatæ res natura præditus: ſupra enim extráque naturam (creatam ſcilicet) Deum eſſe non ſolum ætate uerum & potentia planè oſtendit. Taceo Mercurium Aegyptium, Numenium, Plotinum reliquámque non uulgarium philoſophorum turbam qui dei uires inſuperabiles ineuitabiléſque cunctis ita conánuerũt, ut nõ ſuſpicer aliquem in rebus philoſophiàs uel minimum etiam uerſatum, qui hoc idem in dubium reuocarit. Sed quid ſibi uelit autor ille per præſcriptionum leges, haud ſatis aſſequor. Neſcio enim quid ſiniſtri uoces hæ præſcriptionum leges, in prima eius affirmatione ſubolent ſubmurmuránt ue, quaſi ſcilicet Deum omnia in omnibus perpetuò operari, ſcripturus non animaduerterit. Quod abundè intelligant iuris periti & ij quos non latet quid ſit præſcriptio, & qua ratione quæratur. Puto tamen cenſorem noſtrum uoluiſſe Deum à nulla ſua creatura ut quicquam neceſſariò agat compelli, uel ut prætermittat coërceri poſſe, quod ut uerum eſt, ita Laconico autori ſufficere potuiſſet Deum omnipotentem omnium creatorem eſſe. Poſtrema autem primæ illius aſſertionis ſectio,

Platonis de Deo ſententia.

ctio, qua uidelicet adfirmat Deum cuncta pro nulli adstricta sua uoluntate, modico nutu moderari, ut piè interpretata uera est, ita syncerius & accommodatius, non modico nutu, sed citra omnem uel minimum etiam laborem Deum cuncta facere dictitasset. Neque enim (Hominis pace dixerim) tam frigidũ unquàm de Deo sermonem à uiro hoc theologiã erudientis officium amplexo, ac ultra etiã professo expectassem. Posset nanque quispiam in sacris eloquijs minus uersatus conspecta isthac affirmatione mirari, Cur in Deo qui indiuisibilis, simplex absolutissimúsque ab omnibus cognosci debet & credi, modicum nutum intelligat bonus hic assertor theologus, uel qua maxima simplicitate in Deo modicum aliquid tribuere nedũ propriè & uerè eloqui audeat. Vtrunque nempe, modico nutu, præ se fert. An Stoicorum nonnullorúmque poetarum more Deum aliquem corporeum, artubus quoque distinctum formatúmque nobis suscitabit? Noui siquidem nutum capitis, oculorum, uel manuum motionem significare qua assensum homines ostendere consueuere, ideóq; nonnunquàm pro deorum uoluntate (quos antiqua simplicitas æstimabat corporeos) nutum usurpari legere est. Vnde Xenophanem illum Colophonium legere est, imposturam qua dij uelut homines fingebantur, ad hunc sensum Græco risisse scommate:

Si manibus possent uti tauri atque elephantes,
Pingere uel manibus, uel quæ nos facta referre

Iam

Iam similes & equis diuos bubúsque uideres
Cornipedes finxisse & equos, tauróśque bicornes,
Haud alio factos quàm quo ipsi corpore constant

Plato denique in Politico adstruit eodem modo semper se habere, & idem permanere soli ei congruere quod diuinißimum est. Itaque uel optimis philosophis Deus eodem modo persistens modicum nutare æstimandus non fuerit, Confirmante & id Dauide propheta dum ita de Deo cecinit: Tu autē Domine in æternum permanes. & paulò mox: Tu autē idem ipse es. sed & ipse etiam Theodoritus Cyrensis episcopus uir non uulgaris doctrinæ, quarto de Græcarum affectionum curatione in hunc modū infit, Rerum omnium opifex Deus, nec instrumētis nec materia indiget: sed quod alijs artificibus sunt materia & instrumenta: tempus præterea & conficiendi opera: ipsa ars & exactißima diligentia, hoc est ipsi Deo sola unicáque uoluntas. omnia enim quæcunque uoluit fecit Dominus in cælo & in terra. Quinimo Theologis placere inuenio, ipsam solā Dei uoluntatē rerum omnium factarum caussam esse ueram & primariam effectricem. Syncerius itaque & concinniori oratione edixisset, sola ac libera sua uoluntate rerum omnium esse moderatorem Deum. Nobis autem hic error uenia dignus est, quòd ad me meiq; similes, quos simplices, diuinarúmque scripturarum gnaros minimè suspicabatur, scriberet. Ideóque, recepto uel nonnunquàm in sacris & Ec-

clesia sermone, nutum pro uoluntate : & modicum pro facili, usurparit. Ad id adactus, quòd sciebat perfectorum solidum esse cibum. Reclamabitq; quòd non raro sacra eloquia, item Ecclesia, prisci deniq; & ipsi Patres simili usi sint sermone: fateor. Verũtamen quòd populo duræ ceruicis & rudi, id est Iudæis concredita sunt primum & promulgata, & Christi Iesu Ecclesia non peritos tantum erudit, uerumetiam rudes & simplices, ut ne barbaros etiam quantumuis respuat, quid mirum si is loquendi modus illis ex usu aliquando sit: eorúmque solidior longe iuxta & licentiosior sit autoritas quàm censoris illius nostri, è cuius re fuisset suarum affirmationum sic texuisse filum, ut maximè proprijs uocibus suã, legentibus insinuasset mentem. Neque enim hoc ei concedat Diuus Augustinus, qui libro de lib. arbit. in hæc uerba prorũpit: ueh his qui nutus tuos pro te amant, & errãt in uestigijs tuis, et derelinquũt te ducem. Quod autem ad secundam, tertiam & quar- illius adstructiones attinet, quibus adstruit Deum maximum rerum moderatorem huius mundi inferioris machinam cælicis regionibus fœdere quodã inexplicabili (libet enim illius uerba usurpare ne me perfidiæ expostulet) sociasse, ut cælicis influxibus uigeat & afficiatur materia hæc inferior: quatenus scilicet id ualeat quod ab autore accepit, parata cursum sistere, effectus suspendere, uires comprimere, aut etiam uirtutes ciere, & omnia ministrantis offi-

cio

cio quæ accepit officia impendere, prout Dei ſolius nutu (ut ait) arbitrij cenſuerit eſſe parendum. Vt & ob eam rem ſyderei præfluxus elementa & ex eis miſta incredibili uigore ad uſque terræ uiſcera penetrent: ac præcipuè lapides, herbas & metalla tantis uirtutibus afflent, ut humanam (teſtatur) ſuſpicionem excedat ſtupenda mirandarum rerum magnitudo, uſibus quidem humanis præfecta, non modò corpori fouendo, ſed animo magis erudiendo & excitando. Videntur procuIdubio hæ non tam theologicæ quàm ex mera philoſophia naturali depromptæ. Quapropter ut medicus, atque proinde prophanis ueriſimilibúſque philoſophorum placitis imbutus, illis non refragor, præterquàm quòd fœdus illud inexplicabile dicere non auſim: inexplicabile quippe dicitur, quod explicari non poteſt. niſi inexplicabile intelligat non intelligibile, aut uerbis non ſatis aſſequibile. Quandoquidem ſi inexplicabile propriè fœdus illud eſſet, ipſis creaturis neceſſarium foret, eiúſque à cælo potentiæ neceſſariæ. Itaque non perpendiſſet cenſor ille, quàm eiuſmodi inexplicabilitas liberæ omnipotentiq; Dei poteſtati uoluntati ue aduerſaretur. Niſi (quod & illum feciſſe ſuſpicio eſt) inexplicabile cenſeat quod perſeuerante cõmuni ordinatáque Dei conſtitutione explicari diſſoluiq; nequeat. Tametſi ſyncerius forſan, & meo iudicio ueritati accommodatius adſeruiſſet, rudem hanc materiam, ab initio, generationis omnis & proprietatum

Examinantur 2.3. & 4. aſſertiones.

primas causas à creatore accepisse, earum uidelicet seminibus materiæ præinfusis. Quemadmodum post Mercurium, Platonem, Plotinum ac alios non uulgares philosophos Diuos Augustin. Basilium, Ambrosium cum principum patrum magna turba sensisse inuenio. Quid uerò per hæc uerba, parata cursum sistere, & quæ sequuntur ille intelligat, planè nondum consecutus sum, nisi de materia hac inferiori sentiat. Neque enim uideo posse, salua sermonis congruitate, ad cælicos influxus referri: quamobrem pro suo sensu & ueritate commodū dixisset, parata cursu sisti, effectibus suspendi, uiribus comprimi, aut exciri. Minus autem capio quod subnectit in hunc modum, prout Dei solius arbitrij nutu censuerit esse parendum. Nunquid enimuerò terræ aut infimæ huic materiæ intellectum infusum esse putabit aliquis philosophus, nedum theologus, quo scilicet intelligat sentiát ue quid uelit Deus: ut uidelicet censeat iudicétq; qua ratione, eius arbitrij nutu percepto, pareat obseundét ue pigra, ut inquit, iussáque subsidere hæc moles. Id Hercle omnino absurdum mihi uisum est, & philosopho, quantò magis theologo, indignum, lippis etiam oculis, apparet. Præstitisset profectò animaduersorem hunc, pro sua functione, neglecta naturali philosophia, Deum libere omnia in omnibus operari cum Diuo Paulo Apostolo asseruisse, quàm inexplicabili hoc labyrintho totum se prouoluere, ne dicam præcipitem dare.

dare. Theologis nanque & philosophis placere inuenio, primam caussam, id est Deum ipsum omnium entium caussam esse propinquißimam, hincque dici omnia in omnibus operari, ut & non ab re adstruant theologi Deum primum esse principium omnis facultatis actionisque, sic ut ipso non mouente nulla promoueatur actio. sine ipso nanque factum est nihil. Cum enim audimus (ut inquit sanctus Bonauentura) omnia esse ex Deo (ut ait Augustin. lib. de natur. boni) Omnes utique naturas intelligere debemus, & omnia quæ naturalia sunt. Sed hæc missa.

Prætermissa autem consultò quinta illius assertione, qua docet non subijci liberam hominis uoluntatem cælicis aut naturalibus potentijs, quo minus Deo creatori pareat. Item & sexta, qua ostendit astreas uirtutes, ut in res materiatas pleno feruntur impetu (libet enim eius sensum, autoris uerbis edicere) ita impediri ab effectibus, occursibus proprietatum aduersariarum multis modis posse. Ad septimam illius affirmationem accingor, Quæ sic habet ad uerbum.

Res effigiatas putare propter imaginem opere artificis materiæ impressam aliquod cælestium suscipere influxuū: aut in hominem aut quiduis aliud profundere præter id quod gratia rei suscepit, uanißimum est. Nam cùm figura aliud non sit quàm partiū corporis ordo et dispositio seu modus, nec quicquam

Septima Censoris affirmatio.

quam præter ſignum ſuperaddat rei quæ effigura-
tur à cæleſtibus afflatibus non agnoſcitur. Nec ſcul-
ptus in auro leo aliud eſt, quàm aurum leonis, id eſt
animalis ſignificatione protractum. Proinde ſignifi-
catio non à ſydere reſpicitur, ut id in ſui gratiam in-
flectat: ſed ſolus ſpiritus eſt qui ſignis inuitatur &
prouocatur ſignificationibus. Ridiculũ ſanè eſt leo-
nem uiuum ſi collo hæreat non ſtrangulet, ſi fictus
leo collo pendeat à calculo ſanet: & uiuus quidem
cognati leonis cæleſtis deſtituatur influxibus, fictus
uero quem pro arbitrio manus artificis finxit cæle-
ſte amuletum ſit. Vt plus ualere incipiat quod homi-
nis manus formauit, quàm quod creauit diuina uir-
tus. Hæc eſt ſeptima illius arbitri aſſertio, qua ue-
nenatũ promouere & in nos (clam licet) ſtylũ ſtrin-
gere niſus mihi profectò uidetur. Ego uero (ut de ea
meum ingenuè proferam ſenſum) miror non parum
quid hæc ſibi uelint: quum ille, an alius, à meo exem-
plari quicquid de auro leonis effigie conſculpto nar-
raueram (qua fronte neſcio) obliterarit: etiamſi ſolam
de eo quorundam autorum ſentẽtiam paucißimis de-
clararem, nihil autem de ea re ſtatuerem, modò me
intellexerit ille. Quod quàm ex ſuo officio, quó ue
decoro attentarit, tuum eſto iudicium. neque enim in
immeritum libellum ita ſæuitum ſciui unquam. Deſi-
nat igitur quiſquis is fuerit ſimile facinus in poſte-
rum perpetrare: quin magis, pro ſuæ profeßionis
ratione, rebus ſacris incumbat, aduerſus hæreticos
plenis

plenis buccis inuehatur. Ne forsan illi de imaginibus iudicãti illud inculcetur Apellis, ne sutor ultra crepidam. Scribat etiam si uelit in suum Thomam doctorẽ sanctum, ne immeritò quidem uocatum, inque Albertum magnum, ac alios egregios doctores theologos, illos nanque legere potest plus lõgè uirium tribuere rebus ritè & pro modo effigiatis. Atqui, ne latius ab instituto palati prolixiores simus, tempestiuum est quidnam ueritatis habeat isthæc affirmatio perscrutari, ubi te primum atque illum commonuerimus nos hæc inuitos scribere: non ad cuiusquàm sugillationem iniuriám ue, sed ut sinistram fortè de nobis opinionẽ eluamus, quæ per illas adsertiones latius fortaßis euagata est quàm mereri uellemus. Neque enim scribendi hanc mihi temeritatem arrogaßem, si non intelligerem libellum illum circunferri. Verum ut ad susceptam disputationem reuertamur, non pigebit secundo præfari, quod tametsi (ut sequentibus patebit) narratorem me præbuerim sententiæ quorũdam philosophorum nõ uulgarium de uiribus auro leonis effigie ritè insignito à cælo transfusis, eorum tamen opinionem probaui minimè. Hoc argumento persuadere tantum conatus, nemini dubium esse debere, Gemmis à cælo longè nobiliores effundi uires. Excutiamus itaque quantum habeat illa Platonicis numeris obscurior affirmatio ueritatis, quámque superioribus & sibi consentiat. postero tamen ordine, clarioris doctrinæ gratia exorsuri. Ridiculum

lum conciliator noster affirmat (ut interim eius sermonem usurpemus) leonem uiuum si collo hæreat non strangulet, si fictus leo collo pendeat à cælaulo sanet. Ego sanè cachinno sibilóque perpetuò dignas & planè aniles huiusmodi argutias cènseo. Præter nanque quòd non appareat quid in illa uerborũ inexculta congerie sit suppositum uerbo strangulet, non uideo quid ijs sibi uelit censor ille noster. Demum, ut eum concinnè locutum fingamus: quis quæso, non aliam nouit cælestis signi leonis naturam, aliáque eius munia, aliam leonis animalis, alios eius mores? Quis leonem cælicum dixerit superbißimum atque ferocißimum? facescat igitur isthæc muliebris potius quàm philosophica cauillatio: perpendatq́; assertor ille noster discriminis rationẽ, cur leo cælestis similes in aurum proprietates atq; in leonem animal non diffundat. Cõsideret etiam quàm fluxior, rarior teneriorq́; sit leonis quã auri substantia: quamq́; huius materia ab illius commistione & tẽperatura descíscat: ut uel sola hac discriminis ratione pro sua in rebus naturalibus eruditione, diiudicet quamobrem eadẽ etiam caussa, leo nimirũ cælicus, diuersos propter obiectorum uarietatẽ effectus in leonẽ aurumq́; profundere queat: quo pacto uidemus solẽ, dißidentes herbas, arbores, fructus, lapides, animantesq́; generare. nónne philosophis omnibus in cõfesso est agẽs quoduis naturale certã sibi ꝑ suæ actionis productiõe poscere materiã? ut ne illũ quidẽ fugerit, quũ

Septimæ assertionis confutatio.

sua

ſua ſexta affirmatione dicat, Agẽs limitata poteſtate uim ſuã, explicãs modũ ſuũ agnoſcere. Quàm abſurdè uerò inferre uideatur ꝙ admittere uelimus, plus ualere quod hominis manus formauit, ꝙ̃ quod creauit diuina uirtus, uiderit ille. Sed & quorſum cenſor hic noſter ingenij ſui neruos rhetoricas ſuas in re tã ſeria intẽdit? Nónne Deus utrũq; leonẽ, adde etiam hærbas, lapides, metalla, animãtes, et ſi quid præterea rerũ uſpiã eſt, creauit formauitq;? Cõſtat tamẽ ipſum rebus ſingulis inſeruiſſe proprietates peculiares. Porro, an abſurdum putabit ille, ad hominis ſanitatẽ non rarò præſtãtius eſſe quod hominis manu induſtriáq; conflatũ eſt, & cõpoſitum, ꝙ̃ quod ſimpliciſſimũ Deus creauit. Theriaca, amabo, nónne ab homine inuẽta & primũ cõfecta eſt? Eam tamẽ aduerſus uenena omnia præſtabiliorẽ uno ore prædicãt ſingulis ſimplicibus quãtũlibet potẽtibus ac generoſiſſimis medicamẽtis. Taceo remediorũ myriadas multas cõpoſitorũ, atq; hominis accurata diligẽtia ſolertiáq; conditorũ, quæ cõtra uariarũ cauſſarũ affectus lõgè ualẽtiora eſſe cõſtat omni alio ſimplici à Deo creato auxilio. Quãꝙ̃ & rationẽ ſeu artẽ illa reperiẽdi cõponẽdiq;, adde etiã et omnẽ eorũ uim, omnẽ quoq; ſanitatẽ, et ſi quid præterea boni eſt, Dei ipſius clemẽtiæ accepta ferre debere nos palam ultróq; profiteamur: neq; enĩ ignoramus ſcriptũ, omne donũ optimũ de ſurſum eſſe à patre luminũ. Nõ itaq; per noſtras narrationes homini illi licebit cõficere quæ

ſibi concludere perſuadet: ſed & etiam ſi demonſtraret abſurda minimè, nec à ueritate aliena eſſet illa conſecutio. Cæterum primam affirmationis ſuæ ſectionem probaturus, figuram præmittit nihil aliud eſſe quàm partium corporis ordinem ſeu modum (libet enim hominis dicendi rationem imitari): eſto. Deinde ſubnectit ſignum quicquam non ſuperaddere rei quæ effiguratur. Vide lector quàm appoſitè, ne dicam, cautè, in hac argumentatione ſignum ceu figuræ ſpeciem differentiam ue pro medio ſubſumit bellus ille Dialecticus. Sed quando modeſtiæ ac breuitatis cauſſa, quæcunque ualebimus excuſare, bene interpretari decreuimus, ad ea conniuere conſilium eſt. Quid tamen ſi utrumque admittamus, nec figuram ſcilicet, nec ſignum quippiam adijcere materiei quæ figuratur præter uariam diſpoſitionem, ordinem & modum partium, ſequitúr ne proptereà nullis alijs potentijs propter recens additam ſculpturam aurum poſſe perfundi. Nónne & genus id argumentationis debile, & quod ſophiſtam aut rhetorẽ magis quàm theologum redoleat, aut philoſophũ. forſitan enim quis eorum addictus partibus qui ſimilibus figuris multum concedunt, dicat: Figurationem materiam diſponere pro nouæ ſaltem accidentalis ac artificioſæ formæ introductione. qua ratione ex auro uariæ imagines, diuerſa uaſa, & ut paucas perſtringamus, multifidæ res conſtituuntur: quas etiam ad hominis uſum, uel ex eo plus ualere certum eſt, quòd

quòd præter id potestatis manifestæ quod à deo dum crearentur nactæ sunt, quippiam à nouißima formatione indeptæ comperiuntur uirtutis atque usus unde saliæt homini accommodæ magis esse ualeant. denique nónne è ligno coclear, scutella & numerosißimæ rerum species conflantur: an non propter uariam partium dispositionẽ, figuram ordiném ue (manu licet artificis facta) noua quædam sequitur introfertúrque forma. Diceret tamen ille globum, ligneám ue scutellam nihil differre à ligno eo modo efformato. Opinati itaque fortaßis fuere philosophi illi, speciem quandam addi auro ut dictum est figurato, prædictæ uirtutis iamdudum in materia latentis stimulatricem, túmque longe præstantius ac efficacius, si tẽpore quo materia ad nouam illam formam adparatur cælũ sit faustũ & concupitæ uirtuti opportunum. Sed neque sola hac ratione philosophi illi ab huius arbitri argutijs sese explicauerint, nam ut nulla figurato auro forma affluat, non ea de re conficitur nullas per figurationem eo promoueri potentias. Quippe si, uel bono hoc uiro autore, spiritus signis prouocantur & inuitantur, quãto magis dicẽt philomusi illi spiritus æthereos sydereós ue, longe quidẽ subtiliores & ad actionem promptiores, quàm sint inferiores hi terrestres & craßi, à figura cælicis orbibus, aspectibus & afflatibus (ut putant) conuenienti posse adsciscì. Afflatus enim illi putantur spirituum astreorum (qui sydrearũ facultatum instru-

menta

menta illis sunt, non aliter quàm hominis facultatum omnium, spiritus, uitales, animales aut naturales instrumenta censentur.) uires ac potestates seam per stellarum radios adferre. Vt saliceat hac saltem argumentatione isto suo assertorem illum gladio, nõ magno fortasse negocio, confoderint philosophi illi. Si spiritus signis figurisq; alliciantur (ut statuit) syderei autem multo nobiliores, & ad propria munia multo habiliores existunt, igitur & hi facilius ac leuiori occasione inuitantur alliciunturq;. Quia Aristo. teste, si id quod minus uidetur inesse inest, & id quod magis. Arbitramur nanq; Plato atque alij nõ pauci celebres philosophi & astrologi, corpora cælestia sua uita uiuere: & ea quidem multo nobiliori quàm sit uita qua rationis expertia hæc inferiora sub luna degere cernamus. Opinantúrque illa suo spiritu per radios illinc demissos suas in infima hæc defundere & exercere functiones. Verũtamen his supersedeamus, rémque penitius pro philosophorum illorum sensu referemus. Apud principes cũ philosophos tum astrorum peritos classicos autores receptum est, quòd immensa cælestium corporum magnitudo & uirtus, eorum quoque motus celeritas, efficiat, ut syderum cunctorum radij totam terræ molem (quam clarum est ceu punctum esse ad cælum) quasi momento ac facilè ad centrum usque permeẽt ibique (ut Platoni atque Pythagoræ placet) sint ualentissimi, quòd uidelicet centrum recti, omni ex

Astra sua quadã uita uiuere philosophis plerisque.

Principum philosophorum & Astrolog. placita de cæli influxibus & eorum ratione.

parte,

parte, pertineant pertingántque ubi & ſeſe in arctum ſinguli colligunt & recipiunt. Quibus coram uidetur aſſentire ſanctus Bonauẽtura lib. 2. diſtinct. 12. quæſt. 2. Art. ult. his uerbis. Dicunt philoſophi, quòd corpus cæleſte mediante ſuo lumine influit uſque ad profundum terræ, ubi mineralia corpora generari habent, & quantum ad hoc uerum dicunt: quis itaque oſcitantiæ locus, quò minus intelligamus ſtellarum radios ſimiliter in metalla lapillóſque uarijs figuris conſculpta, cum allatis ſecum poteſtatibus, poſſe transfundi, quas uires diuinitus, à prima conſtitutione, totam ſpeciem conſequẽtes illis inſitas eſſe cælicis corporibus uultibúſque, idem Bonauentura dicit lib. eodem, diſtinct. 14. quæſt. 2. ad finem. Proinde non diſsimili ratione intelligi ualeat cæli aut ſyderis cuiuſpiam uim uehementius poſſe influere in rem effigiatam. Sed & neq; quouis tempore æqualiter, quo modo ſol nõ ſimiliter perpetuò calfacit: & triticum, uinum, oleum & reliqua quæq; terræ germina non uno eodémq; modo ſemper uegetantur, maturantur, abundant. Non inſcitè igitur philomuſi illi ab omni ſeſe ſuſpecti erroris poſtulatione uindicauerint, qua à nonnullis impetuntur quòd cælum aliter in aurum effigiatum, una cæli conſtitutione quàm alia influere, longa rerum obſeruatione docti, cenſuerunt, maximè uerò ſi cælo ita conſtituto intelligant uirtutẽ diuinitus eſſe conceſſam, qua ab auro ut prædiximus formato facultatis iampridẽ in eo con-

ceptæ rudimentum seminiumq́; promoueatur & ad sui propagationem exuscitetur. Singulis nanque stellis suæ insunt facultates totam speciē consequentes: (quas essentiales ac specificas nominaueris) per quas proprijs funguntur munijs. Cui & id eiusdem Bonauenturæ distinct. 4. Art. ult. quæst. 2. in hunc modum dicentis adstipulatur. Ratio uero qua diuersa imprimunt (sub luminaria cælica) non est, ut putant aliqui, propter diuersitatem qualitatum: sed ex parte diuersitatis uirtutum. Quia enim cōditor mundi corpora cælestia incorruptibilia posuit ad regulandum & regendū corruptibilia, quæ sunt diuersa & multiformia dedit eis uirtutes consequentes suas species, secundum quas diuersa luminaria aspectum habēt ad diuersa elementa, & ad diuersa corpora mineralia: hactenus Bonauentura. Quid itaq; mirum si philosophi illi senserunt cuiusdam syderis radios posse aliquo tēpore auro consculpto sic quidē applicari, ut per illius unde emanarunt proprietatē inuitatamq́; uirtutē, in auro consopitam atq; insitam à deo facultatē, totam speciē consequentē, ciere atq; extimulare ualeant: quum ne illis quidem absurdum putetur per sculpturam figurationem ue aurum cæli functionibus patētius reddi, ipso uidelicet per contrectationē concalfacto (ut Firmico placet) magis uero radijs aptius excipiendis adparato. Qua ratione uidere est terræ congelatæ glebulas neuosq́;, à sole uehementius affici quàm ipsam planiciem. Mitto hic non pauca exempla atq;

Argumentum ex cō-gelatis terræ glebulis.

atq; etiam argumenta queis hæc manifeste firmari possint. tanta scilicet est in materijs adparatis cæli syderúm ue potentia & ad actionem promptitudo. Quanquam & à plerisq; clasßicis autoribus obseruatum sit ex ea materia efficaces potißimum consculpi imagines, quæ aliquo olim perfusa fuerit rudimento seminarió ue (de quo infra fusius) facultatis propter quam effingi expetitur, ut uidelicet extimulatio & absolutio tantum desit. Qualem eam existimant quæ ab innato temperamēto complexionē nacta est & substantiam quæ cum cælicis illis numinibus uultibúsque cognationem habeat, unde patentior sit concupitis afflatibus imbuēdis. Quam deniq; uim philosophi illi capiunt in materia tum perfici quando ritè præparata & æthereis radijs influxibús ue desideratis concipiendis uniendisq; conueniens reddita est. Arte nimirum inchoatam iamdudum latentemq; uim utcunq; extimulante. Hinc uolunt exculptas imagines, non item depictas tantum influxuum cælestium atq; proprietatum recipere, eo uidelicet nomine quòd illæ radios cōmodius admittant, contineāt uniantq;. Proinde hac hypothesi à philosophis illis cōstituta atq; recepta, nulli naturalium mathematicarúmq; præceptionum uel mediocriter gnaro mirum uideri puto, cur auro omniū longè absolutißimo metallo, quod per splendorem ac colorem cum sole, per temperiem uerò cum Ioue, præsertim conspirare cōsentireq; palàm ostenderunt philosophi, leonis effi-

gie artificiosè figurato, uis quædam cælica inuitetur, perfundatur, perficiaturq; qua renes à calculo asserantur, nimirum quòd illius tēperies ab Ioue coctionem iuuet, muniaq; naturalia uegetet atq; expediat, quò minus saliat multa crassaq; per corpus pituita exuberet, excoquatur, induretur. ꝙ si forsan in hoc similis quædam redundet materia solis ut in auro illo complexa, deinde corporis spiritibus primum, & hinc humoribus communicata tenuetur: tandémque, meatibus magis patentibus, liberius à corpore crassus ille tenáxque humor deturbetur & expurgetur, ut sic uel propter humoris noxij penuriam uel eius saltem ab urinæ ductibus facilē excretionem, gignendis calculis desit occasio. Quæ si uera sint, ut & pro manifestis à philomusis illis recipiuntur, quis (obsecro) sinistræ suspicioni locus, nisi apud eos qui tenuitate intellectus uel iudicij imbecillitate falsi quæcunq; non capiunt uel reipsa nō sentiunt malè interpretātur, aliter, ut puto, quàm sapiunt cum rebus esse non posse sibi persuadentes, tanquàm uidelicet inops omnino nostra capacitas diuinitati æquaretur. Illos non ab re Plato à sua arcebat philosophia, Vide (inquit) circunspiciens, ne quis haud initiatus homo hæc audiat. Cuiusmodi sunt quicunq; nihil aliud esse opinantur quàm quod ipsi tenaciter poßūt manibus apprehendere. Sedenim quò eorū quæ prædiximus & quæ sequutura sunt sensum penitius & pro philosophorum illorū captu reseramus, nō pigebit & hoc

Platonis egregia sententia.

quoq;

quoq; loci contexere, quod spiritus nostri cælicis sydereisque corporibus lōge quidem magis cōgenei atq; germani sunt, quàm terreno huic atque caduco corpori. nimirum, quod instrumenta debeant esse uirtutum quibus anima, quæ tota cælestis est, suas obeat functiōes. Aequum igitur fuit ut animæ quàm corpori multis nominibus essent magis affines, tametsi ne corporis quidem naturæ penitus expertes censeri debeant. Vti nanq; animæ ceu uiliores deseruiunt spiritus, ita corpori tāquam nobiliores propria adserūt munia, ut illis uidelicet medijs, anima illa cælestis, & à corporis huius natura quàm lōgißimè dißidens, crassam hāc terreamq; corporis & artuum molem animet, uiuificet, uegetet & moderetur. Quāobrem qua ratione corporea iussaq; subsidere hæc substantia à qualitatibus elementalibus (in ijs quæ lunæ subsunt corporibus ad aliquid permutandis efficacibus admodum causis, plurimum trāsmutātur, ita & spiritus nostros, ceu astreis uiribus obnoxios, à cælicis qualitatibus, luminibus, figuris, in cælo ualentibus caußis nō modicè affici crediderunt. Quas, inquam, ueluti à mathematicis, simplicißimis ac (uti præfati fuimus) multum potentibus formis pendentes, constat nostris spiritibus esse multò ualidiores. Quòd si ita est, ut & esse philosophorum præstātißimi quique censuerūt, quid mirum si aurum lapillus quoque credātur uirtutem cælicam, quam prius imbuerunt, nō obscurius tandem trāsfundere in spiritus nostros, & per hos

medios in corpus nostrum, quàm craßioris solidiorisq; substātiæ plurima cernimus à qualitatibus elementalibus, cælicis uiribus lōgè imbecilioribus, ppetuò affici. Nunquid itaq; magnum existimabit philosophus audiens principes illos autores sensisse q̄ homo, qui qua homo est cælestis naturæ abūde particeps est, p astreis corporib⁹ subiectas cōsentaneasq; figurationes in apta materia cōsculptas uim aliquam fructumq; à cælo uenari atq; cōsequi poßit. Quod si multis exēplis ac ppetuo rerū usu palàm ostendere conabor, prolixior fuero. Vnicū tamē nec rarum aut incōpertū exemplū his annectere cōsilij est, speculum scilicet rotundū, leue, cauū nitidißimumq; (solis orbē uel hac ratione referens) quod ob talem figurā & cōcinnā præparationē, arte tamen hominis sollicitatam Phœbi in se radios tā ampliter efficaciterq; cōprehendere palam est, ut nō tātum abundè incaleat, uerùm suā usq; adeò in propinquū corpus caliditatem trāsfundat ut id etiā adurere queat. Cæterum philosophorum illorū sententiæ Diuus Thomas Aquinas doctor sanctus uocatus, lib. de fato suffragari uidetur, ubi dicit, uestes ædificia & quæcunque artis opera certā à syderibus suscipere uim qualitatém ue. Quamuis nō eā illis admiserim efficaciam, quam legere est nō paucos superstitiosos impostores (magiæ id est ueræ philosophiæ nomine indignißimos sophistas) eis tribuere. Sed illas ex arte figuratas res cum Diuo illo Thoma lib. cōtra Gentiles non negarim,

Argumentum à speculo.

Sācti Thomæ Aquinatis autoritas.

negarim, ijs perfundi posse facultatibus, quas euidēs est cælum herbis rebusq; alijs infundere. Vt scilicet sancti illius & peritißimi uiri sententiæ ac autoritati refragari nō uidear, qui imagines illas ad sanitatem ualere posse cōfirmat, propter nanq; uim cælicā in figurata materia susceptā. Tādem itaq; pro uiri huius celeberrimi & philosophorum illorum sensu cōficiatur, antedicta figuratione cōsculptum aurū renibus calculo obnoxijs amuletum fieri posse, quod in lucubratiunculis nostris quosdā asseruisse philosophos narrabamus. Si nanque (uel Aquinate autore) ꝑ effigurationem uis quædā cælica similis ei quæ à cælo herbis impartitur hauriri potest, multas autē herbas calculo tum præuertendo tum deturbādo ac sanādo efficaces esse apud omnes receptum est medicos, adde & lōgo usu firmatum exploratumq; nónne sequitur aurum leonis figura ritè insignitum, arteq; cōflatum, cōtra calculum remedio esse poße. Proinde Petrus ille Apponensis cōciliator dictus, adstruit medicū morbos figuris pellere posse. Deniq; Albertus ille multa eruditione magni nomen meritus, theologiæ philosophiæq; professor spectatißim⁹ in libro quem speculum uocat, ubi à licitis illicita se discreturum pollicetur, adfirmat, figurationes ab astrorū peritis constructas, cælica uirtute efficaces fieri, quinimo figuras, dictiones, literas imaginibus insculpi ꝑmittit, ad hoc duntaxat, ut ætherea quædā uis inhauriatur: tametsi pro suo officio abusum dānet: ma-

gis autem orationes, suffitus, carmina & id genus superstitiosas ac uanissimas imposturas quibus nō pauci eorum qui se magorū nomine, maxima uirorū sapientium illustriū nominis iactura, uenditant, dæmonibus prauis figuris adhibendis uti consueuere. Sed hæc quorsum tam fusè protrahimus? Nempe ut intelligat bonus ille noster censor, magis uerò ut te nō lateat, optime lector, nos ea quæ de sculptura in auro narrauimus tātum, potuisse cum autoribus illis & alijs nō uulgaribus utriusq; etiā philosophiæ peritissimis probatissimisq; uiris statuere. Proindeq; iudicet ille an illa libelli nostri pagella lituris digna fuerit, indéq; prudentius discat & cautius de re aliena mercari, & nō de facie hominem iudicare, uel etiā leuiter metiri. Coronidē his imposituro subijt his quoq; annectere, Philostratū referre Hiarchā primum inter Indorum sapiētes, septem cōstruxisse annulos, septem planetarum nominibus insignitos & sculptos, eosdéq; Apollonio Theaneo dedisse, singulis scilicet proprijs statisq; diebus (pro dierum et per eos dominātium planetarum discrimine) partiendos deferendosq;, deinde et affirmasse ipsum Hiarchā Apollonio, auum suum philosophum centum atq; triginta annos simili fretum cælesti beneficio uixisse. Indéque Apollonium ijs annulis magna utilitate usum centesimo etiānū anno iuuenem retulisse. Quòd autem ad octauā illius assertionem spectat qua Hermetem Trimegistum ut magum insaniuisse profitetur ac ceu dæ-

monum

monum socium dãnat, cui cognatam esse astrologorum insaniã affirmat (nõ enim piget autoris illius uerba referre) qui signis sub certa syderum positione in materia quauis exculptis astrorum uim inuitari arbitrantur. Ego certè, ut uerum ingenue fatear, uelim modestius & citra stomachum, hic cõaliator scriptitasset: solet nãq; exæstuans bilis insaniæ nõnihil præ se ferre. Optarim etiam ut æquiori iudicio dicteria sua ac syncerius expendisset, ne se conaliatorem ab ipso limine professus, bili tandem superante aduersarium propalam ostenderet: ut & eam ob rem ipsum fortasis calumnietur quispiam quòd uocem quidem Iacob, manus autem habeat Esau. Nunquid enim Trimegisti superstitionum magicarum meminimus? Scio certè ne mentionem quidem earum fecisse nos unquàm. Quandoquidem (ut uerum profitear) præter quædam de rebus naturalibus ac chimicis ei relata, nihil illius dogmatum uidi. Quid laruarum instar, cum mortuo luctatur? Quòd si maledictis illum incessendum putat quòd cælum lapillis uim quãdam impartiri statuerit, (quod et illum censuisse ferebamus) aut quòd uirtutem cælicam crediderit figuratione ex arte posse allici, quod etiam affirmationis illius series præ se ferre uidetur. Viderit ne easdem iniurias in Diuum suum Thomam, Albertum magnum, compluresque alios non uulgares tum philosophos tum theologos effutiuerit. Sin autem apud Hermetem, impium quicquam aut præstigiosum legerit,

Octauæ assertionis refutatio.

legerit, illius eatenus laudo cōsiliū officiumq́; quinimo suadeo ne eius monita sectetur. Ego nāque medius fidius istiusmodi ineptias fallacißimasq́; captiones ne legere quidē sustinerē, tātum abest ut scelestissimis illis nenijs, toto orbe explodēdis, fidē aut deuotionē adhibeā. Hallucinatur tamē cēsor ille si ex quauis (ut ait) materia efficaces posse fieri imagines philosophos uoluisse cogitet, quū cōsentaneā syderibus, & cōcupitis uirtutibus opportunā obnoxiamq́; debere esse materiam illos docere præstruxerimus. Porrò multa dignū admiratione mihi uisum est q̄ magos insanire arbitretur. Neq; enim mihi facilè psuadeatur uirū illum nō obscuræ eruditionis ignorare, q̄ magus sapientē, peritū prophetā ue significat, ideoq́; & magi nomē euāgelio ingratū nequaq̄ fuisse certum est. An nescit Sibyllas magas fuisse uocatas, quæ de Christo Iesu tā insigniter prophetarunt, ut nemo Christianus nisi insaniēs illas desipuisse cogitauerit, nedum affirmare audeat. Quāobrem optarim Trimegistum illū ueluti magū captiosum superstitiosumq́; primū demōstrasset, deinde & incesisset. Verūtamē ut his tāquam in caput nostrū nō iaculatis criminationibus supersedeamus modestia & breuitatis studiū nos cōmonēt. Quid demū habeat pōderis ac ueritatis uel etiā solidioris doctrinæ nona illius uiri affirmatio, qua (ut eius uerba usurpē) quicquid in rerū euētis præsidij, medelæ, prosperitatis, expectatur q̄d inde sperare, nec diuina autoritas nec sana ratio, sua-

Nonæ assertionis confutatio.

det

det inter inutilia & pietati auersanda deputādū,& ad spiritus ueteratoris imposturas referēdū,asserit, iudicēt uiri docti,rerumq; naturaliū nō penitus ignari. Videritq; ille ipse rhetorico nomine(ut audio gaudens) quā lepidè ac gnauiter loco ab autoritate negatiuè argumētetur dißeratq;. Si deniq; nullū auxiliū expectare,nullā medelā admouere licebit,quibus aut sacræ scripturæ aut sana ratio testimonium non præbeāt,perit profectò nobis rerū numerosißimarū proprietas occulta, eiusq; in præcauēdis amouēdisq; morbis usus. Quā tamē proprietatē nemo sani capitis(si nō me omnia fallunt)negarit:propter hominū neceßitatē utilitatémq; à Deo bonorū omniū largitore rebus multiiugis infusā esse. Qua de re ab earū usu homines arcere,atq; citra omne discrimen prohibere,prorsus impudētis est,et tā impiū cēseri queat q̄ Deū ipsum supremū bonū credere recōditas illas facultates frustra creasse, uel illas caperata frōte,tametsi euidētißimas)negare esse. Viderit item ipse q̄ eius isthæc sentētia aduersetur ijs quæ quarta affirmatione præstruxerat. Nāq; ꝙ præfluxus syderei incredibili uigore ad usq; terræ recōdita uiscera penetrāt,præcipuè autē lapides,herbas,metalla,animalia tātis uirtutib9 afflāt ut humanā(inquit)etiā suspicionē excedat stupēda rerū mirādarū magnitudo,& quæ sequūtur,ubi tādē omnē rerū admirādā potestatē ad humanos usus proficere testatur nō modò corpori fouēdo atq; recreādo sed animo magis erudiēdo

rudiēdo

rudiẽdo & exãtãdo. Atqui num astreæ uires à cacodæmone sunt? Si itaq; ab hoc nõ sunt, ut facilè doceri potest, à Domino Deo sunt. Cur igitur integrum non erit pio alioqui Christiano ijs uti uirtutibus medelisq;, quas Dominus ipse Deus, humanæ imbecillitatis misertus, medicamentis ac rebus à se creatis non perperã infudit, etiã si nulla homini ĩgenio finito ac debili appareat illarũ abscõsarũ proprietatũ ratio, cui proculdubio ad eã cõsequendã diuiniore sapiẽtia ac ingenij pspicacitate soliditateq; opus esset. Nónne dignũ est Dei uirtutẽ, bonitatẽ, sapientiã omnipotẽtiãq;, humanũ infirmũq; nostrũ captũ quãlongißimè ac albis (ut aiũt equis) prçire excellereq;? Quid ergo cũcta quæ humana ratio nõ cõplectitur aut sacra eloquia non cõfirmãt, dæmonũ imposturis dicãda relegãtur, ut ne ipsi quidẽ perspicuæ corã experiẽtiæ credẽdũ ille audeat affirmare? Nónne peoniæ radix singulari proprietate cõmitiales arcet acceßiões? huius tamẽ facultatis ne sapiẽtißimus qdẽ philosophus (puto) rationẽ reddiderit exactã. An propterea uitio dãdum fuerit medico, illi affectui sanãdo, peonia uti. Huic certe arbitro in ea re crediderim nunq̃, tãquàm rem falsam ac impiã asserenti, q̃ ad rerũ proprietates occultas à Deo & natura rebus insitas attinet. Quãquàm uero christiano ne nominãdas quidem cum illo sentiã multiplices ac scelestißimas præstigias ac supstitiões qbus nõnulli uel ad profligãdos morbos uel ad euẽtus auidius cõcupitos impiè procurãdos

dos utũtur. Libuiſſet hîc profectò fuſius agere, ſi nõ timuiſsẽ prolixior eſſe. Cæterũ de amã & nouiſsimã illius aſſertionẽ prætermitto, tum q, ei interpretãdæ opus reuera eſſet Delio quodã natatore, tum q, eius iudiciũ doctoribus theologis ac Aſtronomiæ peritis relinquere cõſilij eſt noſtri, ut breuitati conſulam ac modeſtiæ. Pudet nãq; et ad nauſeã ptædet me tãtum temporis ineptiendo terere. Finem tãdem ſuarũ aſfirmationũ ille facturus in hunc modũ abſoluit. Hæc p ſuſcepto modo breuiter de rebus ſpinoſiſsimis diſſerui, paratus fuſius agere, ſi qdem offendero qui uel requirentis animo uel reluctãtis ingenio urgere uelit cũctãtẽ aut extimulare diſsimulãtẽ. hic umbilic9, hæc ſuprema egregiaq;, ſi dijs placet, ne dicã heroica manus cõciliatriciũ illius aſſertionum. Vnde uehemẽs reuera nobis inceſsit admiratio, deinde et apparẽs cõiectura illius cõſiliũ fuiſſe hiſce ſuis amuſos nos ac iudicij ĩopes terrere minis, ne uidelicet ulla ĩ re illi reclamare auderemus, noſſe tamen illũ uelim ueritate nihil unq̃ antiquius habuiſſe nos, doctos qdẽ præclara Platonis autoritate, qua nihil ad philoſophi officiũ magis ſpectare teſtatur, q̃ ueritati ĩdagãdę ppetuò aſsiduęq; incũbere, tã altè ſcilicet repoſitæ, tãq; ĩ tenebris recõditæ, ut nihil ſit æquè difficilè quàm eã indagãdo pueſtigare & tãdẽ cognoſcere. Neq; etiã exiſtimet quiſquam, optarim, nos aut liuido aut calũnioſo animo hæc diſſeruiſſe. Deum nãq; teſtamur nos ueritatis ac feliciorum ingeniorum ad eã pluſtrandã excitãdorũ

citãdorũ iuuãdorumq; gratia hæc effutiuisse: quanq̃ procuidubio, hominis studiũ magis probaßẽ si de rebus quas spinosißimas prædicat, iusto ac proprio uolumine seorsum & pro multa sua eruditiõe scriptitasset: adeoq́; suæ profeßiõis doctorũ, q̃ ipse aliter sentiẽtiũ opiniões autoritate uel demõstratione elisisset primũ, deinde et suas uel si maluisset alienas sanctiones ac assertiones cõstituisset, ut nanq; cum theologis theologica tractasset, uel nobiscũ philosophica. Enĩuero placet hîc de tabula manum deponere. Habes itaq; lector humanißime quid ad informis nostri ac præmaturi partus emẽdationẽ absolutiorẽq; fœturã nos cõpulerit: quã tandẽ boni cõsulas obsecro, temeritatis nos expostulaturus minimè (etiã si humilis sit tenuisq; nostra Minerua) ubi animo p̃pẽdes q̃ uelim, nolim (iniqua licet cõditione) hãc cogor aleã expiri. Neq; enĩ scio fore ut nõnulli aliter q̃ nos & sentiãt & doceant: Magis nõ defuturos suspicor operiorq; q̃ alienæ sciẽtiæ obtrectatione (ut interim Plinianum mihi sermonẽ accõmodẽ) famã sibi aucupẽtur. Quẽadmodũ & aduersus Theophrastũ uirũ lõgè præstãtißimũ, multa quoq; dicẽdi facũdia & ubertate diuinũ sibi nomen assecutũ, mulierẽ etiã scripsisse idem Plinius refert. Ego, fateor, pro meo more breuitatis amãs, nõ pauca prætermisi quæ hîc desyderari posse sum opinat⁹ ne lõgior eßẽ: iudicaui nẽpe libellũ plusq̃ pro rei dignitate crescere, metus quoq; erat ne prolixiore lectione nauseã tibi inducerem, cõsilij igitur

fuit,

fuit, breuioris quàm fusioris doctrinæ notam subire malle etiã si nõ ignorarẽ (uel Ausonio teste) arctã doctrinã solere obscuritatem parere. Quòd si in hac epistola lõgior fortasse uidebor, propter disserendorũ arduitatem & cõtrouersam perplexionem, quodq; ad ea quæ sequutura erãt nõ obscurè facere hãc disceptationem animaduerterem, dabis ueniã, quũ etiã multa cõsultò dißimulauerim, ijs tãtũ cõtentus quæ ad argumenti nostri rationem facere, ueritati cõsentanea & generosißimis autoribus probata receptaq; uidebãtur. Ego nanq; nõ hæc mea esse profiteor, sed è uarijs ijsdemq; clarißimis philosophis pro tenui nostra supellectili deprõpta quædã collectanea potius esse cõfirmo. quædam tamen addidi forsitã non iniucunda inutiliá ue. Adnisus præterea sum qua potui claritate, ueritate ac synceritate quæcũq; è præstabilibus claßicisq; autoribus satu digna & ad rem facere iudicaui fideliter adscribere. Verùm enimuerò ꝙ, Plinio illo teste, obnoxij est animi & infelicis ĩgenij malle in furto deprehẽdi quàm mutuũ reddere, Nõ pigebit hîc quoq; subtexere quibus ego maximè autoribus his nostris cõficiendis lucubratiunculis usus sim. Imprimis itaq; C. ille Plinius, Plato, Aristoteles, Theophrastus, Plotinus, Numenius, Iamblicus, Apuleius, Dioscorides, Galenus, Aëtius, Paulus Aegineta, Zalyabbas, Auerrous, Rases, Diui Augustinus & Thomas Aquinas, Albertus magnus, Theodoritus Cyrẽsis Episcopus, Petrus Apponensis,

ſis, Marſilius Ficinus, Petrus Crinitus, Aulus Gellius, Arnoldus à uilla noua, Vincentius in ſpeculo naturalis hiſtoriæ, Nicolaus Florẽtinus, Hermolaus Barbarus, Ioannes Manardus, Carolus Bouillus, Hieronymus Hangeſtus, Solinus Pictor Villingenſis, Marbodeus poeta Gallus, Antonius Lodoicus, anteſignani & præcipuo nobis uſui fuerunt, cum aliquot alijs non infimi ordinis autoribus. Cenſores autem mihi adhibui atq; impetraui Dominũ priorem Phanopini, apud has inſulas uiris eruditiſsimis, & uirtutibus ſpectatiſsimis, clariſsimi cœnobij, fratrem Balduinum Paſchaſium, uirum profecto cùm uitæ ſanctimonia celebratiſsimum, tum ſacratiſsimarum imprimis, philoſophiæ deinde & bonarum omnis generis diſciplinarum peritiſsimum oculatiſsimumq;. dignum certe cuius nomen, fama & memoria quàm latiſsimè propagentur. Vna etiam cum fratribus Franciſco Pietino et Aegidio Froidurio inſulano illius collegis, uiris hercle cùm morum integritate, tum multiplici doctrina cumulatiſsimis, amicis meis longè chariſsimis, qui huic libello non parum ponderis, gratiæ & claritatis impartiuerunt. Ordinis orationem pro uiribus ſeruaui ſtilo paulo preſsiore pro ieiuna noſtra eruditione, qua tamen potui ſyncæritate ſingula adnotaui. Tuum eſto his ipſis frui & uti. Ita tamen ut ſentias uelle me nihil uel ſapere uel ſtatuere quod ſanctæ noſtræ fidei, Matriq; Eccleſiæ Catholicæ aduerſum ſit & inuiſum. Bene Vale.

DE GEMMARVM ORTV, LIBER PRIMVS.

Caput I.



VNumquemque lapidẽ ex altero maximè duorũ elementorum, terra ſcilicet vel aqua, conflari apud omnes rerũ naturalium peritos, tam in cõfeſſo eſt atque naturali rationi peruium, vt nullus, ni vel Liberide cæcior, addubitarit. Porrò qui lapides nõ perſpicui ſunt, ex terrea craſsioréque quadam ſubſtantia, humido tenaci perfuſa, generationis materiam mutuati ſunt. Qui verò pellucidi viſuntur, ex aqua pręſertim conſiſtunt, cui ſubtilis quædam terrea nec obſcura materies immiſta eſt, vt & in cryſtallo ac beryllo glaciei ſpeciẽ planè referentibus videre eſt. Quanquàm & hæc intelligi velim, non quòd duo reliqua rerũ principia, ignem dico ac aërem, ab illorum miſtura ſeparem. Apud principes nãque philoſophos complures con-

Non perſpicuorum lapillorum cauſſæ.

Pellucidarũ Gemmarũ cauſſæ.

uenit, Omne mixtum ex quatuor elemẽtis constare. Verumenimuerò ita quæ diximus accipiẽda sunt vt alterum illorum, terram nimirum vel aquam, in quouis lapide præcellere intelligas, etiam si aliter Plotinus sentire videri posśit, de quo alibi fusius egimus. Quòd autem ad effectricẽ vocatam caussam attinet, duplicem eam vtriusque philosophię principes numerarunt: altera nanque suprema, altera verò inferior. Princeps caussa est Deus ipse Opt. Max. rerum omnium creator & seruator, in quo, cum quo, & per quem sunt omnia, & sine quo (Diuo Ioanne Apostolo teste) nihil factum est. Quem & Aristoteles Ens entium supremamq́ue vocabat intelligentiã, asserens omne opus naturæ, opus esse intelligentiæ. Illum itaque Deũ vt omnium rerũ creatorem, ita singulorum primariam & simpliciter necessariam caussam, vt & etiã lapillorũ gemmarumq;, Christiani omnes norũt. Quãdoquidem sapientis est oraculum: qui viuit in æternũ creauit omnia simul: quod equidem bifariã interpretatũm inuenio. Quibusdã quod dicitur simul, nõ ad creationis

Lapillorũ caußa efficiens.

tionis inſtans referentibus, verùm ad inſtãs propoſiti diuini, vt ſcilicet ſit ſenſus, ꝙ Dominus Deus decreuit ab æterno omnia creare. Ita enim librum Diuo Auguſtino relatum, qui de mirabilibus ſacræ ſcripturæ inſcribitur, habere reperio. Simul itaque Deus vniuerſos lapides ſingulaſque Gemmas creauit, dum videlicet vnica ſolaque ſua voluntate multiformem quarumvis ſpecierum ac indiuiduorũ diuerſitatem fieri voluit, in qua volũtate vnica ſimplicisſimaq; ſingula ſimul fecit, quæ ab eorum ortus principio per tempus diſpenſare non deſiſtit. Quãuis & hîc accedere poſsit germanior forſan intellectus, cui philoſophi complures & nõ obſcuri, ipſa quoque ratio ſubſcribunt: ſcilicet quòd Deus omnia ſimul creauit, dum omnium formarum ac rerum futurarum rudimẽtum, principium ac ſeminarium quoddam materiæ primę ante generum, ſpecierum atque indiuiduorũ diſcretioné infudit. Illa ſiquidem materies diuiſionis adhuc & productionis expers, moles erat quædam informis, omnium tamen formarum ſeminio ab ipſo creatore per-

Vide quomodo Deus creauit omnia ſimul.

fusa, vnde tandem, quando & iis mediis quibus supremus opifex ab ęterno pręscit & vult, perfecta rerũ productio & fœtura extimularetur. ideoque & hi admittũt omnia quidem simul esse creata, non autem simul esse facta. Confirmat & id sententię Diuus ille Augustinus super Genesim adserens, ꝙ quæ à natura generantur secundum rationes seminales, in materia consistentes producuntur: quod & multo copiosiꝰ disseruit tertio de Trinit. cap. 9. vt scilicet inaudias materiam in se habere, & quasi fouere cunctarũ formarũ rationes seminales sibi à primæua cõstitutione ingenitas insitás ve, ex quibus tandem, agẽtis actionem, pro modo, expertis, educantur extimulenturque formę naturales elementorũ commistionem essentialiter consequentes, vt & hinc quę in potentia materiæ tantummodo inerant verè & (vt dicunt) in actum ab agentis actione producantur. verùm de his alibi fusiꝰ. Nunc verò hęc de principe illa caussa & Gemmarum plasmatore sufficiant. Quæ tametsi cunctis sat esse queant quòd tamen pulchrum, decorum atque vtile est homini

homini haud vſquequaque indocto noſſe quibus ſecundis mediiſque cauſsis, vnde cũcta de quibus diſceptatur originem capeſſunt, non pigebit hoc loci aliarũ quoq; inferiorum cauſſarum cõmeminiſſe. hoc nanque pacto fiet vt abſolutior de his noſtra ſit traditio. Quãquàm enim Deus omnium ſit cauſſa immediata, quædam tamen ſolus, & citra alicuius coagentis admiſsionem, efficit: ideoque (vt aiunt theologi) eorum cauſſa eſt tota. Nõnunquàm, ſua liberaliſsima bonitate, cooperantes alias ſecum adſciſcit affouetque cauſſas, & hoc propter cõnexionem vniuerſi: ita tamẽ vt nulla alteri aduerſetur. Proinde (vt inquit Bonauentura libro ſecundo, quęſt. ſecunda, circa finem) quia diuina voluntas non cognoſcitur, nec ipſa ab actione excludit operationem cauſſæ creatæ: nec etiam ab earum cognitione humanam capacitatem arcet. Ideoque bonum & perutile eſt, ſeſe exercere in cognitione cauſſarum creatarum. Ante hunc item multis ſeculis Pindarus aſſeruit, quòd quicquid intra ſe terra occultat, & vltra cælum poſitum eſt, homo cõtemplatur. Nec id in-

fructuoſum putes, quum, diuo Paulo autore, inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta cõſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas. verũ vnde digreſsi ſumus, pedem referre libet. Prætermiſsis itaque nunc ſuperioribus cauſsis in ſequentium duorum capitum gratiam, non vulgarium philoſophorũ placita narraturi dicimus, quòd à primario illo omnium principio, inferior humiliorq́ue Gemmarum cauſſa dici poteſt, facultas cęleſtis orbis moti, ab ipſo Deo trãsfuſa pro ipſius orbis diuerſarum partium varia poſitione, quam aſtrorum periti aſpectum appellant. Porro quid ſit cæli orbium, planetarũ, ſyderúm ve aſpectus, ſitus ſiue configuratio, non eſt huius inſtituti, quamobrem Mathematices peritis relinquo. Hoc vnum præfatus quòd pro variorum aſpectuum ratione & materiei multiiuga pręparatione diuerſas in ſubiecta hæc corpora cælũ creditur tranſfundere virtutes. Qua de re philoſophi illi propinquiores ſenſibileſq; cauſſas ſcrutati, cælo ipſi extenſo vim illã mineralem lapidificam tribuendam cenſuerunt, mediate

Cælũ gemmarum cauſſæ efficientis quãdam habet rationem.

diate vel immediate, vt dicunt, hoc eſt intercurrente alia cauſſa vel non. Mediate quidem ꝙ tametſi corpora cęlica loca nõ rarò mutent, adparet tamen ſedes eas lapidificas facultaté illam, ſemel ac efficaciſsimo cęli conatu conceptam tam contumaciter retinere, vt lapides per multũ æuum gignendo, iam dictæ potentiæ fidem propalam teſtentur. Hinc fieri arbitror quiddam mirabile & ſilentio minimè prẹmẽdũ. Relatum mihi iampridem eſt à domina quadam fide digna, ꝙ Domina Heuerenſis è Luxemburgorum illuſtri genere oriunda, duos habeat ſeruetq́ue hæreditarios Adamãtes, qui alios crebrò, tanto naturæ miraculo, producant, vt eos quicunque ſtatis temporibus intueantur συγγενῦ id eſt cõgenerem ſibi prolem eniti palàm iudicent, cuius cauſſam, ſiquidem in naturæ tam raro opere nobis philoſophari licebit, putauerim eſſe, ꝙ vis illa cæleſtis parentibus tenaciter inſinuata (quam adamantificam quis nominauerit) aërem circumfuſum in aquam primum, congruamq́ue ſubſtantiam, demùm in Adamantem gemmam duraue-

Adamantes ſibi ſimiles parere.

rit transformaueritq;. Quod ne iustò plus admiretur quispiam, autor est Theophrastus esse lapides qui pariãt: nimirũ ꝙ virtus illa cælestis tenaci materiæ vti pręstruximus, semel transfusa subiectæ, cõtumacius cohęret substantię, quæ videlicet quò vehementiorẽ cæli actionẽ experta est, eò pertinacius hanc retinere intelligitur. Vicina autem & coniuncta seu instrumentalis lapidum caussa duplex annumeratur. Vel enim calidum quoddam est (si ex elementis corpora substantialiter fieri statuamus) aut caliditas (si solas in mixtis qualitates asseruari sentiamus) in materia terrea persistẽs, & humidum tenax per terreæ molis tenuissimas quasque partes diducens digerensque. Hac ratione singulorum elementorum, terræ præsertim & aquæ portiones tam aptè & ad amussim confundens atq; conglutinans, sed & ab omni excrementosa fecè dispumans, vt pro lapidis Gemmæ ve forma producenda materiam ipsam rectè præparet. Aut demum ea caussa frigidum quoddam est siue frigiditas, in aquea substantia terrestris & siccæ materiæ

Instrumentalis Gemmarum caussa.

teriæ actionem perpeſſa conſiſtens, ſua conſtrictione (frigidi nãque eſt conſtringere) omnem ſuperabundantem humorem adeò exprimens, vt etiam impendiò induret, adeoque tantum eius relinquat quantum ad decentem partiũ connexionem ſit neceſſarium, vt & hinc inuitandæ formæ materia diſponatur excolaturque, qua de re non diffitentur philoſophi illi, quòd quamuis lapilli hi à frigido coaluerint, à calido tamen, citra alterius humoris appulſum, liquari contumaciter recuſant: quòd videlicet tanta ſit in illis humidi ſiccique naturalis commixtio, germanitas & neceſsitudo, vt ſuo omni ex parte contrario affici renuant: necnon niſi familiaris qualitatis illicio affecti, ad externæ qualitatis actionem conniueant. Quanquam non deeſſe com pertum habeamus qui duo tantum elementa recipiant, ac frigidum vt à natura, ita ab omni actione ſecludant qui debile calidum Gemmarum cauſſam conſtituant. De quibus aliâs.

Quid

Quid ſint & unde uim ſortiantur Gemmarum proprietates occultæ. Cap. II.

AVtor eſt Galenus nono ſimplicium pharmacorũ libro, quòd Gemmæ vires habent partim ſecundum ſubſtantiæ totius proprietatem, partim ſecundum qualitates effectrices, hoc eſt manifeſtas: quas cum potentiis hinc emanantibus ea medicinæ pars quã Græci φαρμακευτικὴν, Latini medicatiuam appellãt, imprimis contemplatur. cuius conſiderationẽ præſens inſtitutũ nõ amplectitur. Porro ſubſtantiæ totius proprietatẽ philoſophi vocant occultã, quòd ſubſtantia viriũ, quibus ſtupenda illa munia abſoluuntur, humanæ rationis fugit captũ: vt ne ſummis quidẽ viris illarũ aliquã penitius aſſequi contigerit aliter q̃ multo vſu. Nimirũ ꝙ omnis proprietatis vera ex methodo cognitio colligenda ſit, ab eius cauſsis proximis euidentibuſq́ue, quæ bifariã diſcriminantur, vel enim ex mixtionis modo, vel ab ipſius formę ſpecificę ratione. Porro cõmixtionis modus miſcibilium miſtura & conglutinatione perficitur, quæ exactè perueſtigari humana diligẽtia nequeat,

Cur uirtus occulta dicatur.

Duæ proprietatis cauſſæ.

queat, vel eo maximè nomine quòd infinita ſit illorũ cõmiſcendorũ proportio. Eius verò quæ ſpeciẽ adfert formæ rationem vel ideo imperſcrutabilẽ intelligere eſt, quòd ipſam prodire autumãt, partim quidẽ (vti præſtruximus) ex potentia materiæ, formarũ rudimentis ſeu ſeminiis à primæua cõſtitutione perfuſæ, partim autẽ (vt magnę philoſophorũ illuſtriũ turbę placet) ab ideis in mente diuina conſiſtẽtibus (quas Diuus Auguſt. primordiales vocat) id eſt, ab ipſo Deo, hinc ab anima mundi (ſi Platonicis cõſentimus) & aliis inferioris ordinis cælicis corporibus, in elementa primũ influentibus: deinde & per ea media ad formã iampridẽ inſeminatã & ceu inchoatã (tanq̃ ſcilicet mentis alicuius & volũtatis diuinę miniſtris) diſponentibus. Cuius pręparationis abſolutã cõſiderationẽ, humana etiã quantũuis diligens aut ſublimis ſagacitas nõ aſſequatur. Cũ itaque reconditarũ illarũ facultatum cauſſæ humano ſenſu nequeant prehẽdi, nemini dubiũ eſſe ſuſpicor, quin omnibus peruium, quòd nulla illarũ proprietatũ rationabili, hoc eſt per rationem humanã

Vide illuſtrium quorũdam philoſophorũ ſententiam de formarũ origine & in materiã infuſione.

humanã deducto inuentoque experimento, sed casuali duntaxat euẽtu cõperta exploratáque dici posit: vel omnino aliquo reuelationis modo, vti per somnia nonnunq̃ legimus contigisse. Quomodo scitũ est syluestris rosæ radicẽ aduersus canis rabidi morsum, aquę pauorẽ, omnisq; potus metũ & graue fastidiũ adferentẽ, prę-stare. Matre scilicet, cuius filius in Lacetania Hispaniæ finitima belligerãs, morsus periclitabatur, per somnũ (visa in fruteto illius radice sibi suauiter applaudẽte) præmonita: quã & deinde qua potuit diligẽtia filio misit, ex lacte potandã, filiũ obsecrans vt religioni parens matri obsecundaret biberetque. Quo vnico simpliciq́ue remedio, miles ille præter omnem expectationem seruatus, occasionem præbuit cognoscendæ eius radicis, occultæ contra illũ affectum facultatis. Est igitur mixti

Quid mixti recondita proprietas.

latẽs occultá ve proprietas, facultas quædam propter ea vnde ipsum essentialiter consistit insita, per priuatas operationes, multo vsu periculó ve solo, vel aliqua reuelatione, citra rationem cognita. Quòd demũ mixtionis ac cõglutinationis meminimus

minimus, illud obiter lucidioris doctrinę gratia his quoque connectere libet (forsitan enim tantæ diuersitatis occasioné sciscitéris ac libenter audias) quòd tam discrepantis mixturæ & coaptationis caussam philosophi sunt arbitrati esse, vim quandã cælestem subiectæ materiæ partes, varias licet, pro sua virtute permiscentem: adeoq́ue, vel vario huius permixtionis tenore, eam materiam ad nouam formã decenter adparantem, in quã tandem ad amussim dispositã & excultam mirificæ ille transfunduntur virtutes, formas consequentes specificas. Porrò hac dicendi consequutione eò tandem deuenimus, vnde earum quæ in Gemmis sunt proprietatum facultatumq́ue reconditarum caussæ, quas ante præstruximus, nobis sese vltro ac præter expectationem diligentius perscrutandæ ac in conspectum reuocandæ, insinuent. Celebris est itaque philosophorum sententia quod omnis caussarum turba ab vna eademq́ue principe pendet, ducitur atque conseruatur, ad quam & propter quam, ceu ad communem omniũ finem caussæ omnes sua

Omnium caussarum unica princeps.

ſua munia tanq̃ cõmuni quodã & inſito conſenſu dirigunt, deinde & omnia fieri deſuper à ſummo bono, hoc eſt Deo ipſo: eadéque eſſe & optima & ordinatiſsima. Proinde non irent inficias Gẽmas & earũ virtutes à Domino Deo eſſe, eũq; etiã ſolũ cunctorũ cauſſã dici poſſe verã, alias autẽ cauſſas impropriè & ceu per analogiã nominari non diffiterentur. Verũtamen quanquàm philoſophis illis cognitũ id & optimè perſpectũ eſſet, nihilo tamẽ magis conquieuit mira infatigabiliſque illorum auiditas diſcendi, & in ſuis operibus creatorẽ admirandi contẽplandiq́ue deſideriũ. Quinimo inſito quodã cęleſti ardore vigoreq́ue ad propinquiores rerum cauſſas, ceu videlicet primæ illi ac veræ vtcunque inſtrumentarias animorũ ſuorũ penè diuinã atque perſpicaciſsimã ſublimitatẽ intenderũt. Hinc itaque, cũ bono, mentẽ, hoc eſt primã ſapientiã, quã & boni verbũ illorum quidã nominãt, & cũ mente, intellectũ, totũ vtrũque mũdũ (intelligibilẽ dico & vitæ) ſtatuere ſunt opinati quũ vero bonũ ipſum, mentẽ & intellectũ vnũ quid eſſe, ac vnica ſimpliciſ-

ſimaq́ue

simaque substantia persistere adstruunt, vnicũ esse rerũ omniũ & singularũ principium profitentur, semper omnibus adstans, cuncta fouens, viuificans, excitans, complens & roborans. De quo sacer ille Orpheus ita cecinit:

Cuncta fouens, atque ipse ferens super omnia sese.

Hinc & diuinus ipse Plato diuino sole collustratus ita in sophista ait: Animalia cuncta mortalia plantasque & quæcunq; terra ex seminib⁹ radicibus ve nascuntur, & quæcunque inanimata in terra consistunt, siue liquefieri posint siue nõ, nũqd ab alio quodã opifice fabricata q̃ à Deo facta esse, cũ prius non fuissent, dicimus? An multorũ doctrinã sermonesque sectabimur dicentiũ ista, natura ipsa, gigni à caussa quadã fortuita sine mẽte hæc agente: vel cũ ratione potius scientiaque diuina, quæ ab ipso Deo sit orta? Nos enimuero Christiana fide ac veritate edocti, primũ hoc rerũ omniũ principiũ, singulari substantia, & tribus personis, conformi, simplicissimaque voluntate, vnitate, maiestate, ęqualitate, ac omnipotentia cõprehendimus & veneramur, Patrẽque

vocamus

vocamus quē illi bonum ſimpliciter: Filium & verbū patris, nos mētē, primāq; ſapiētiam, illi. Spiritum quoq; ſanctū nos appellamus, quem illorū diuiniores boni intellectū & amorē nuncupant, vel animā cuncta viuificantē & animantē alii. De quo Plotinus lib. de intellectu cap. 2. ita infit, quiſnā eſt potiſsimū qui tradit, animo ſapientiā, hic profectò neceſſario eſt intellectus: Intellectus (inquā) qui non alias quidē intellectus ſit, alias verò expers intelligentiæ, ſed verus potius intellectus, qui hanc ob cauſſam ſeipſo ſit pulcher. Sed nunquid in hoc velut primo, nobis eſt quieſcēdum, an potius ſuper mentē quoque progrediendū? nēpe mens ipſa nobis in altū progredientibus prior occurrit q̄ principiū omniū primū, quaſi in ipſius boni veſtibulo conſtituta, omnia in ſeipſo nuncians & ſignificans velut quædā ipſius boni figura. Deinde & eiuſdem lib. cap. 3. Eadem quoque (inquit) transferens ad vniuerſum, in eo ſimiliter perueniet ad intellectū, cognoſcens eū effectorē reuera totiuſque artificē. hactenus Plotinus. Porrò in intellectu mundū quendā intelligibilem

Vide egregiā de Deo Plotini ſententiam.

intelligibilem haberi voluerunt, hoc eſt omnium rerum, idearum plenitudinem, ſed & in mente omnium iuxta & ſingularum creandarum, gignendarũ ac producendarum, id eſt futurarũ rerum ideas, æterna, ſimplici, congeneaque ſubſtantia, ſolis relatiuis rationibus ab inuicem diſpeſcitas, perſiſtere intellexerunt. Eaſdemque ideas principes eſſe rerum omnium cauſſas arbitrati ſunt, ab eiſque ceu quoſdam actus, pendere & eſſe animas omnes intellectuales, intelligentias, corpora cæleſtia, & quicquid in inferiori hoc mundo eſt vſpiam. Proinde proximam creati mundi cauſſam item & cunctarum proprietatum, menti & intellectui, hoc eſt verbo Dei & ſpiritui ſancto detulerunt: quanquàm ne ipſum quidem bonum ab hac creatione ſepararint, vt ex locis iamiam citatis & aliis non raris philoſophorum autoritatibus patere liquidò poteſt: quemadmodum ſacras etiam literas legere eſt Deo patri per verbum & in ſpiritu ſancto, tanq̃ vni principio mundi creationem tribuere. Qui feciſti (inquit Sapientia) omnia verbo tuo: & Pſaltes,

verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Verumenimuero omnibus exploratũ velim, Ideas illas in mente diuina nihil eſſe ab ipſa Dei ſubſtantia & præſcientia, id eſt omnium præcognitione & voluntate æterna, diſcretum. Quem, inquam, Deum certum eſt nõ tantum ſingulorum generum, verumetiam ſpecierum ac indiuiduorum omnium exactiſsimam propriiſsimãque & conſtituere & ab æterno præſcire ſubſtantiam, compoſitionem, formam ac vires tum proprias tum cõmunes, & ſi quid præterea illis inſit. Vt & hinc accipias diuinas illas ideas cuiuſuis ſpeciei ac indiuidui principes eſſe cauſſas: nõ modò quod ſint, verumetiam cuiuſque earum poteſtatis tam communis quàm propriæ. Cui & id mihi pulchrè arridere videtur quod pleriſque philoſophis placere inuenio. Nãq; quòd virtutib⁹ certis, id eſt certam ſtabilemque rationẽ habentibus, non fortuitis ſed efficacibus, potẽtibus, indeficiẽtibus, nihil fruſtra inuanũque ex ſeſe molientibus, moueantur vires in rerum natura conſiſtentes, ſed de his in alio noſtro

Ideæ quid ſint.

Diuinæ ideæ, id eſt Deus ipſe, omnium rerum cauſſa princeps.

opere

opere fusius ac syncerius diis fauentibus differemus. Porrò à mente ipsa & intellectu illorum plurimi volunt effusam creatám ve animam vnam intellectualem, vniuerso orbi communem, quam idcirco mundi animam vocant. Eandemque sub mente illa mundi regina rectricé ve, toti mundo prçesse, atque per eum totum diffundi: vt scilicet tanquã primæ illi caussæ ministrans, cuncta per eã & sub eius imperio moueret, cogeret, foueret moderaretur, efficeret, primariæ illius caussæ, Dei videlicet ipsius, præcepto parẽs obsecundansque. Quapropter & in animã illam mentem impresisse senserunt rerum omnium primarias principesque rationes seminales, tantum ab ideis diuinis nobilitate disitas, quantum ignobiliori subiecto ad obsequiũ infusæ hærent. Quas forsitan intellexerit quispiam rationem esse omnium producendarum rerum, ac mediorũ, quibus Deus ipse eas producere ac proferre voluerit cõstitueritque, cũ facultate qua media illa promouere ipsa posit anima. si tamen similis quædam anima pio alioq; Christiano admitti debeat. Ve-

De animá mũdi secũdum philosophos plerosque.

rùm philoſophorum quorumdam placita narramus, nõ approbamus. Illam præterea animam ſentiunt per omnia in omnibus diffundi: & omnia menti obediens eiq́ue miniſtrans promouere ac vegetare, vt & hinc nõ ab re dici poſsit inſtrumentum primum eorum quæ Deus ordinato cõmuniq́ue euentu, hoc eſt ſecundum naturam efficit: qua de re hãc animã à mente & intellectu primam vitam nuncuparunt. Cui quoque mentem, ſubſtãtiam ac rationem, intellectum vero vt eſſet intellectualis, impartiuiſſe in literis fecerunt.

Spiritus mũdi philoſophis quid.

Eam denique per omnia flatum ſpirare vitalem ſpiritualémque prodiderunt, dum ſuo ſcilicet ſpiritu per omnia penetrans omnia videt, tangit ſentitq́ue: & id quidem modo quodam ſuo, noſtris ſenſibus longè impari, incognito & multis nominibus diſcriminato. quo denique vnico flatu ſpirituq́ue, actu lucido, vi calido & omnis generationis fomite: ceu ſcilicet interioris vitæ quadam propagine, atque verius tanquam diuinæ virtutis vehiculo, ſemper vbique pullulare animã illã vniuerſalem mundi exiſtimarunt: quã & forſitan

sitan intellexerũt sub Deo ipso, principiũ esse intrinsecum quo formarum in materia rationes seminales ad sui scaturiginem promotionémque moueãtur ac emergant. Sed hæc missa. Discaueo nanque, longius me fortassis palatum, vela ventis prǣmaturè concedere. iam itaque quæ diximus paucis perstringẽtes addamus, Deũ Opt. Max. prudentiss. omnipotentem, summũ denique bonũ, elementi plurimũ ac liberalissima sua bonitate, rebus cunctis pro sola sua voluntate, harmoniã, concentum ordinemque & à se & ad sese præstituisse, quem stabilẽ ac inconcussum eatenus esse vult, quatenus aliter nõ disponere decreuit. Harmonico prętcrea illo consensu, sibi omniũ creatori ministrare voluit: primum quidem (quòd ad hũc materialem inferioremque mundũ spectat) secundum philosophos illos, ipsam mundi animam ac eius spiritum, deinde cælum ipsum extensum orbibus, figuris, astris maximis, planetis, stellis & luminibus cõsistens. Illam itaque animã hoc quoque cælũ principii caussæque sub cælo formatarum generatarumque rerum & transfusarũ pro-

Cuncta & à Deo & ad Deũ ex ordine cõstituta sunt.

prietatũ rationem quandam iniisse, ideo philosophi illi putarunt, quòd ad mundi dispensationẽ, tametsi non ex necessitate, vberrima tamen Dei bonitate, quadantenus admittuntur. Quod & Auicenas ipse in sua Metaphysica sensisse videtur: Quęcunque (inquit) hic fiunt, oportet præexistere in motibus & conceptionibus stellarum & orbium. Ab iis ipsa etiã elementa, nonnunquàm & artes quędam, similiter & res artificiosæ accidẽtalis saltem vel externę caussæ quandam sibi denominationem vendicant. Placet itaque philosophis illis formã & ex ea vim occultã omnis mixti esse, primũ quidem ab ideis illis diuinis, id est à Deo ipso omnium creatore & plasmatore, ministrantibus ei anima mundi (si Platonicis consentimus adserimús ve) deinde & ipsis orbib⁹ cęlicisq; corporibus, planetis, syderibus, figuris, luminibus, & si quid præterea cælo extenso similis rationis insit, post hæc & elementorum temperaturis cęlicis influxibus affectis, caussis inquam, præparantibus, & materiam ad nouam formam coaptantibus. Habent itaque (iuxta philosophorum illorum

Proprietatum occultarũ caußæ unde sint.

illorum ſenſum virtutes illæ recōditæ ſuã originem ab expreſsis ſpecificis determinatiſque formis, à cælo tamen materiali per vires præparatorias, in archetypo per ideas ac formas exemplares, quæ omnes cauſſæ ad cuiuſuis rei generationem abſolutam (quòd ad communem ordinatamque Dei conſtitutionem pertinet) conuenire illis videntur. Vnde tandē id eſſe verum commonſtretur quod iamiam dicebamus, quòd Deus ſcilicet reb⁹ omnibus pro libera ſua voluntate, altiſsima ac pręſtabiliſsima bonitate, harmoniã, concentum & ordinem à ſe & ad ſeſe quendã inſtituit, indeque rerum omnium cum prima cauſſa, Deo ipſo ſympathia, cōnectio, correſpondentia conſenſus ve (Diuinũ de ſingulis decretũ natura ſequens) non inepte ſtatuatur: hoc eſt, vt omnes vires creaturis rebuſq; artificioſis inſitas, à Deo ipſo (qui omniũ eſt actus primus, & actionis omnis principium creaturis impermiſcibile) miniſtrantibus eis iam dictis cauſsis (quæ ideo ſecundæ vocantur) pendere ac eſſe intelligas. Qui tamē pro libera & omnipotenti ſua volũtate (omiſsis quandoq;

iis quorum meminimus mediis ac ministris) immediatè seipso ea facit quæ vult, quibus quoque miraculis nomen est. Cæterum ex his luce meridiana clarius patere mhi persuasi, diuersos in rebus effectus pendere non solùm à materiæ varia alteratione seu præparatione, sed à diuerso cæli afflatu, maximè autem à discriminatis formis: discrimine, inquam, non solũ speciem consequente, sed & cuiuis indiuiduo proprio. Tametsi materiæ apparatum rebus gignendis ac perficiendis non obscuri esse momenti certum sit. Qua ratione videre est indiuidua eiusdẽ etiam speciei, alia aliis etiã esse clariora, vel viribus ignobiliora, pro videlicet symmetria, puritate vel confusione eorum substantiæ. Nemini nanque rerum naturaliũ gnaro dubiũ esse suspicor, cælicos influxus impediri posse vel omnino minui, propter ineptitudinem materierum in quas suas exercerent potentias. Cui & illud subscribit Virgilianum:

Effectuum uarietas est partim ex materiæ præparatione partim à cælo.

Igneus est ollis uigor & cælestis origo,
Seminibus quantum non noxia corpora tardant.

Cui etiã pulchrè & id Platonicũ adstipulatur,

latur, ſecundũ merita materiæ infunduntur vires cæleſtes. Proinde ex cunctis his diuiniorib⁹ meditatis multis nominibus claret, Democriti illius extollenda multũ ſententia, qua Diis, id eſt diuinis virtutibus omnia eſſe plena, conſtanter aſſeuerabat. Is ſiquidem cæleſtium vires cũ inferioris huius mundi generum, ſpecierum ac indiuiduorum naturis ac proprietatibus conferens, ſed & eorum cum ſuperioribus, maximè verò cum bono ipſo, connexionem perpẽdens, à ſummo ipſo bono ſingula & eſſe, & propriorũ muniorũ exercendorũ poteſtatẽ adipiſci doctus, in iis ipſis Dei vires adeoque Deũ ipſum clarere cernebat. Quas virtutes nonnulli diuinas illices vel idcircò appellarunt, quòd contemplantiũ animos ad Deũ alliciant tam inſignem opificem, vel quòd potentiæ illæ diuinæ omnem in omnibus promoueant functionem, quod & Ouidius perſenſiſſe videtur hoc carmine:

Democriti egregia ſententia.

Eſt Deus in nobis agitante caleſcimus illo,
Impetus hic ſacræ ſemina mentis habet.

Porrò, neſcio quo tandẽ ſuggerente Mercurio, à propoſito ſcopo dilapſus quodãmodo

modo forſitan videbor, præſtat itaque eò recurrere vnde diſceſsi. Inchoatã tamen iamdudum hãc diſputationẽ in medium cõmuneq́ue theatrũ adductã, prius libet abſoluere. Quædã enim digitulo tantũ tetigimus quæ dilucidiori enodatione egere fortaſsis videbũtur, quã ſic accipias velim. Vulgata multũ eſt Ariſtotelis ſententia, quòd neceſſe eſt mundum hunc contiguũ eſſe ſuperioribus lationibus, hoc eſt cælo extenſo, vt inde vis omnis illius gubernetur, vt & hinc plurimis creditũ conſpiciã ꝙ cælũ omniũ gignẽdorũ ſit cauſſa effectiua. Quapropter vt ꝓ philoſophorũ celeberrimorũ tantũ nõ diuinis meditatis rem hanc omnem explicemus, operæprecium facturus videbor, ſi his quoque adiiciã duplex philoſophis ſublimioribus eſſe cælũ, primariũ videlicet & princeps, cælum cælorũ, quod & ſpirituale à quibuſdã nuncupatur, idẽq́ue illis eſſe intelligitur, atq; anima illa mundi quę aſcita ſibi quadam ſimplici plurimũ, ſed congenea conſentaneá ve ſubſtantia, ſpiritus euadit per omnia diffuſibilis omnium poſt Deũ ipſum, & ab eo, functionũ primariũ miniſteriũ.

Cælum duplex.

ſteriũ, neque deſunt qui ſyncerius exiſti-
mant cælũ illud eſſe in mente diuina ceu
omniũ rerum prototypũ, quanq̃ & intel-
ligentias quaſdã eſſe creatas cælo extenſo
mouendo atque dirigendo non inficien-
tur. Quod & Diuus ille Auguſt. ſentire vi-
detur ſuper Geneſim dicẽs, quòd Deus ſic
mundũ ordinauit vt ſpiritũ omni creatu-
ræ præficeret. Cui etiã ſubſcribere videtur
Bonauentura lib. 2. diſt. 14. quæſt. 2. Art.
3. his verbis: ſicut congruũ eſt angelos de-
putari ad miniſteriũ hominũ, ſic etiã con-
gruũ eſt ipſos deputari ad motũ & regi-
men cælorũ, cũ in hoc miniſtrent homini
viatori & diuinæ ſubſeruiãt maieſtati. Et
hęc poſitio eſt magiſtrorũ tam in theolo-
gia quã in philoſophia: quia cõcors pieta-
ti & fidei & rationi plurimũ eſſe videtur.
Hæc ille. Alterũ cælũ velut prioris vmbrã
quandã & inſtrumentũ ſtatuunt, & in eo
ſphęras ſitu diſponi pro earũ excellentia,
naturis & viribus ſenſerunt. Quas omnes
& viciſsim ſingulas ad primã cõmunẽq;
mundi illã animã, verius autẽ ad ſpiritua-
lem illã intelligentiã: & hinc ad Deum ip-
ſum, ineffabili quodã ac obſequentiſsimo
conſenſu

consensu conspirare sunt arbitrati. Itē si-
gna, planetas, sydera, & quicquid prçterea
in cælo hoc extenso cōstitutum est, vti su-
perioribus seruire, ita inferioribus & sub-
missis potentias suas transfundere, vt &
hinc sub terra quædam quasi cælica gigni
cernere sit: dū videlicet corpora illa cæle-
stia ꝓpriis lumine, radiis ac viribus, id est
afflatibus, materiā formarum auidissimā
dispumāt contēperātque, & in ea semina-
riā introducendæ formæ rationem ad sui
propagationē extimulāt atq; ad formç su
sceptionē plasmatori rite prçparāt. Sicuti
nāq; hæc, illa, virtute præcellūt, nobilita-
te ac situ: ita & in inferiora vires suas, ipsa
transfundere superiora præstabilioraque,
vniuersi ordo poscere videtur, et benigni-
tas creatoris voluisse ꝓspicitur. Nimirum
vt qua ratione est mouēs aliquod nō mo-
bile, similiter & alterās sit quoddā nō alte-
rabile, iisdē dico, qualitatibus. Neq; enim
ꝙ varios āfflāt influxus est (vt pleriq; pu-
tarūt) ꝙ qualitatis diuersæ participes sint,
sed quòd illa virib⁹ à creatore donata sint
multiiugis. Quū nāq; instituta sint incor-
ruptibilia illa cælestia vt vegetēt, regāt &
sub

ſub creatore tueātur adſerātq; infima hæc, multimodæ tranſmutationi obnoxia, æquū fuit vt multiformes eis impartirētur virtutes, quibus ſcilicet iuuēt extimulētq; ſubiectæ naturæ vim, nō pfectò vt ſibi ſimile quicquā producāt, ſed vt Deo pareāt atq; ſubminiſtrent. Quod reuera præſtare cælica corpora philoſophi putarunt cùm vi luminis, tum virtutibus propriis ſpeciē totā cōſequētibus, per radios lumēque in inferiora hęc demiſsis. Dum ſcilicet cælicorum corporum radii ad terrā (quæ ceu punctum ac centrum ad cęli ambitum & capacitatē exiſtimatur) trāſmiſsi, aſſumpta etiamnum forſitā quadam tenuiori & ſibi cōſentanea elementorum per quę penetrant ſubſtantia arctantur: proindeque denſiores effecti & potētiores, materiam ritè & ad portionem æquāt coaptātq;, & præinfuſas in eam ſeminales rationes ad actum inuitant, donec ad formā tandem materia illa ad amuſsim, hoc eſt pro diuinæ ideę ratione diſponatur, vt & hinc nō paucis ſenſualib⁹ philoſophis (vti pręſcripſimus) viſum ſit atq; receptum, cęlum illud extēſum cunctorum quæ hoc in infe-

riori

riori mundo generantur caussã esse effe-
ctricẽ, quod tã rationi profectò alienũ est
q̃ si instrumentũ non autẽ artificis intel-
ligentiã, operis alicuius formã artificialẽ
efficere putarent. Quãobrẽ vt cælica illa
corpora ministratoriȩ, vel si mauis instru
mentariæ caussæ speciem quandã à Deo
iniisse eorũ quæ stata naturæ consuetudi-
ne producuntur, primoribus illis & ferè
diuinis philosophis iudicentur, nunq̃ ta-
mẽ veræ hoc est creatricis aut plasmatri-
cis caussæ rationẽ illis concesserint. Cȩte-
rũ pro Christiana nostra veraque philo-
sophia hoc loci nõ pigebit subnectere ver
ba Diui illius August. summi profecto &
diuini philosophi & doctoris nomen me-
riti, quib⁹ Deũ formarũ omniũ specifica-
rũ & proprietatũ singularũ autorẽ esse &
caussã verã principéq; ꝓpalã testatur, inui-
sibiliũ (inquit) seminũ creator ipse creator
est omniũ rerũ, quoniã quæcunque nascẽ-
do ad oculos nostros exeunt, ex occultis
seminibus accipiũt progrediẽdi primor-
dia: & incrementa debitæ magnitudinis,
distinctionemque formarum ab origina-
libus tanq̃ regulis sumunt. Et mox sub-
dit

dit:Itaq; Apoſtolus Paulus diſcernẽs interius Deũ creantẽ atq; formantẽ ab operibus creaturæ quę admouentur extrinſecus, & de agricultura ſimilitudinem aſſumens, ait: Ego plantaui, Apollo rigauit, ſed Deus incrementum dedit. Hactenus Auguſt. Atqui pro huius capitis ſuprema manu ſubnectendũ duximus, quòd proprietatis effectus bifariam diſcriminatur, aut nãque vtilis eſt aut nocuus. Vtilis cenſetur quo homini quippiam inuitatur adfertúr ve emolumenti, vt verbi gratia eius functiones aut vires cõſeruet, vegetet, roboret, reparet, abſoluat & ab internecione vindicet. Vel etiam ad meliorem facilioreḿque vitam quicquam adferat vtilitatis. nocuus autem huic ex diametro contrarius iudicatur. Deinde vtilis inutilís ve dicitur proprietas vel toti corpori, vel priuatim cuidã parti. Toti ſiquidem corpori venenato, ſingulis itẽ ſigillatim ſuis particulis theriaca ex vſu eſt. ſpeciatim vero Hyacinthus, Granatus, margaritæ, aurũ, cor ſedeſ́que virtutum: Corallium autem & Achates ſtomachum & vẽtrem ſolantur, & à noxiis cauſsis aſſerũt. Simili modo

Propietatis utilis effectus.

Inutilis proprietas.

Proprietatum uariæ differentię.

do Napelli vis deletoria toti iuxta ac ſingulis quibuſque partibus inimica cognoſcitur. Cæterum proprietatum quę ab aduerſis defendunt, quædam hoc moliuntur noxium ad ſe primum quidem cõuellendo, deinde immutando. Qua ratione Amethyſtus vmbilico admotus vini vaporem cũprimis allicit, & Scãmonium bilem reuellit. Alia verò quod flagitioſum eſt deturbant ac tandem propellunt, veluti iam dictę theriacę cũ aliis medicamentis aduerſus venena valentiſsimis contingit, quod & Smaragdo, lapidi Cyaneo & aliis nõnullis familiare eſſe perpetuo euẽtu conſpicitur. Alia denique pręſentẽ eſſe vel imminuere cauſsã aduerſam certo indicio cõmonſtrant, vti Electro atque Adamanti coram toxico madere contingit & Torchois vel findi vel omninò ruinam aut maculam quãdam efferre dicitur appetente periculo. Eorum rurſus quæ viribus occultis nituntur quædã ad actionẽ corporis extimulatione egent, quemadmodum pleraque pharmaca in actum (vt phyſicis vulgatum ſermonẽ vſurpemus) reduci neceſſum eſt, priuſquàm ad opus proprium

proprium emergant. Alia verò citra omnem à corpore immutationẽ propria munia exercent, quibus exercendis sola debita applicatione opus eſt, quòd ſcilicet vires ſuas actu, vel habitu ſaltem ſolam accidentalem potentiam cõſtituente nacta ſunt: ideoq; ſola egent cõuenienti ad obiectum admotione, vtque impediẽs nullum adſit. Qua de cauſſa Corallium etiã ſi ſtomacho diutius adhæreat nihil à corpore detrimẽti admittit pariter nec Sapphirus anthracem ſanando vires vel tantillo perdit, quanquàm & id ei quidam falſò adſcribant.

De ratione & cauſsis uirium in Gemmis.
Caput III.

COgnationem certè non obſcuram ea quæ huic capiti inſerẽda ſunt, cum iis quę nouiſsimè diſſeruimus habere videntur. vtriuſque enim capitis idem ferè obiectum, eadem penè ratio, idem propemodum argumentum, vt & hîc quoque bonam eorum quæ pręſtruximus partem adiectã intellegi velim: quã & adieciſſem profectò niſi prolixitatis nimiæ καὶ ταυτολογίας, id eſt repetitionis accerſi metus

fuiſſet. Inſtitutum itaq; adgreſsi dicimus præclaras multū in Gēmis excellere virtutes. Ideoque & in magna illas antiquitûs fuiſſe maieſtate tam conſpicuum eſt, vt eum nihilo conſultius facturum exiſtimem qui illarum dignitatem multis encomiis commendare niteretur, quàm qui ſolis lumen leuiculo quopiam fulgore clarius efficere, aut luxuriantibus aliquot (lōgè tamen imparibus) pictorum more coloribus illud aſſequi conetur. Sedenim tātarum virtutum tamque vere ſtupendorū muniorum cauſſas perſequi nō omnibus ex æquo facile fuerit. Qua de re, paucis libet de illarum potentiarum ratione quædam recenſere non floccipendenda. fuerunt enim qui Gēmas viuere & à ſua anima ſpeciales adeoq; ferè diuinas functiones exercere crediderunt, quorum iudiciū receptum hactenus non eſt. Aliter Alexander ille Græcus ſenſit. nāque quòd illarum proprietates elementis vnde conſtituuntur referuntur acceptæ nimirum quòd hæ in mixto alia edant opera quàm extra ipſum, in quo qualitatem elementalem, id eſt innatum temperamētum, tanquam

Alexandri Græci opinio.

quam

quam instrumentum ad opus moueri ratus est. Cuius sententia, etiã si plerisq; placeat, multis tamen non mediocribus philosophis vel ideo absurditatis expostulatur, quòd instrumentariæ tantùm caussæ recordatus, effectricem, quæ princeps est, prętermisisse videri potest, quam peruestigare pręsentis est negotii. Hermes autẽ ille Trimegistus Cælũ Gemmis occultas proprietates transfundere perhibet: è quo gignendorum seu producẽdorum omniũ facultates tam singulares quã vulgares in hæc inferiora trãsmitti non dubitauit asseuerare, duplici (vt inquit) modo. Aut videlicet nobiliter & ex amussi, quoties materia in quam cælum vim suã exercet, eius orbis ac luminis quandam speciem seu cognationem refert: ad quã scilicet quo propius accesserit gignendus lapillus in hunc felicius ac abundantius propter materiæ symmetriam, connexionem atque cõsensum, cælum fuisse operatum intelligatur. Sed & ideo multa admiratione dignas Gemmis esse proprietates inditas asserit, quòd lumine & perspicuitate cælo quadãtenus patentiores demõstratæ, eius actio-

Hermetis de Gẽmarum uiribus sensus.

nem perfectius admiſerunt conceperuntque. Vnde ſcilicet tandẽ hominis ſpiritus affecti ſpecificis pateant Gemmarũ proprietatibus, qua ratione Topazium, Carbunculum, Adamantem, occultis gratiarum proprietatibus præditas eſſe confirmant viri non pauci nec incelebres, vt nõ deuoratis tantùm, ſed & etiã geſtatis ſuas edere liceat cælicas potentias: primum quidem in hominis ſpiritus, demum in humores & ſolidiores eius partes, quibus à peſte ac venenis defendatur. Sedenim à cælo hoc ipſum quicquid recõdita vi poſſunt Gemmas accepiſſe vel hoc argumẽto confirmant, quòd magnos parua mole mirificoſque promant effectus. Nulli nanque elemento conceſſum volunt paruo corpore plurimum ſubito præſtare, vti nec ignem puſillum magnam vnico impetu lignorum congeriem vrere, vel aquæ pauxillum terræ plurimum perfundere. Quæ verò cælica vi nitũtur ex haud multa materia (ceu ſcilicet vim eã in non magnoperè reluctantia obiecta, facili opera, diffundant) admiratione etiamnum digna ſuas functiones abſoluunt. Nimirum quòd

A cælo eſſe Gemmarũ uires oſtẽdit.

quòd contrariis aduersantibúsve causis non agunt & à validissima cælesti potentia in actionem extimulantur. Quo modo (vt physiologis quibusdam non vulgaribus placet) Corallium, Carchedonius Chrysolitusque Gemmę, ab Ioue pręsertim ac Venere id sũt indeptæ virtutis quo ab atræ bilis melancholiæ ve symptomatis vel ferentem adserere valeant. Deinde & Mercurio Achaten sacram perhibent, ideoque & facundiam inuitare & homini contra venena amuletũ esse testantur. Aduersus quæ etiam è Creta collectam dictãnum à Phœbo (qui Pythonẽ transfixisse fingitur) id est à Sole omnis vitæ & propaginis fomite mutuatam esse profitentur facultatem. Sed & herba Pentaphylon cælica vi palàm prædita creditur non venenatis modo auxiliari potens, sed vnico folio diariam febrem, si bis in dies singulos sumatur: ternis, tertio quoq; recurrentem: quatuor autem foliis quartanam febrem pellere atque conficere posse laudata. Ne iniuria profectò, quum nempe febres hæ variis pugnent tum naturis tum intemperantiis, haud facilè fuerit (si

me non omnia fallant) explicare quã ob caussam naturalem, vnico simplicissimoque hoc remedio, Pentaphylo scilicet, tam dissimilis rationis affectus abigi queant, si non virtuté hanc cælum ipsum illi impendisse causseris. Quid præterea Phœbo sacræ peoniæ à comitiali morbo vel portantem vindicare posse præter cælũ concesserit naturalis sensualisq; philosophus. Neque enim pauca reperias medicamenta quę similis caliditatis, siccitatis ac modicæ adstrictionis cóformes ꝑmant qualitates, quarum ratione tametsi germanas edant operationes manifestas, aduersus tamen illum affectum tam pręstabilia esse minimè experiaris. Sed hæc quorsũ? nempe vt mirum non sit, quòd philosophi illi arbitrati sint, cælum Gemmis occultas profundere potentias: quũ præsertim similes potestates in obscurioris substantiæ herbas palam sit illud insinuare creditum. Quid præterea? Nónne à veteribus obseruatum est quarundam arborũ, Oleæ inquam, populi albæ, & salicis folia solstitiali tempore conuerti, fieri etiam vt ipso brumali die frondes quædam reuire-

scant

ſcant. Vt & hæc M. Varro ſtupenda diſcrimina nominarit, quibus vid licet anni tempus diſcernatur, & ex folioũ verſura ſolſtitium, ex recens autem erũpente quarundã herbarũ virore brumalis dies internoſcatur. Quę ne iuſto quis miretur, non pigebit & hîc quoque contexere quæ M. Cicero ex Stoicorũ placitis refert: Probatum eſt, inquit, à Stoicis in ipſa bruma muſculorũ iecuſcula augeri, pulegiũ aridũ florere brumali die, item inflatas rũpi veſiculas et ſemina malorũ quę in iis mediis incluſa ſunt, in contrarias partes vertere. Oſtreis & conchiliis cõtingere vt cũ Luna pariter creſcant & decreſcãt. Vnde manifeſtum eſſe puto (vti etiã pręſtruximus) quod & philoſophis diligenter probatum receptũque inuenio, quòd rebus ſupernis vis quædã inſita eſt vehemens quæ maxima ex parte cũ inferioribus conuenit, indeque ſympathia quædã & ceu conſenſus emergit, quo animantiũ motus tacitique cõcentus cælicis corporibus (in rebus quę ſtata natura fiunt) cõcordare videtur: quo nomine hęc quoque inferiora cælicis ſuis numinibus adſcripta reperio, Apollini

nanque Aries, Leo, gallus, crocodillus, cantharus, à Cheremone Porphyrioque tribuuntur. Ex arboribus verò Palma, Lotus, Laurus Soli feruntur acceptæ. Nimirum quòd corã intuearis Loti folia prius quàm ſol emergat contrahi, & eo exorto ſenſim explicari. Mitto quæ de Heliotropio & aliis non raris herbis vt literis proditum eſt, ita re ipſa quiuis non negligens explorator ꝓprio obtutu cernere poteſt. Porro de lapidibus multa nec tamẽ diſsimilia à Philoſophis Aegyptiis ac Magis perhibẽtur, ꝗ quoſdã lapillos ſyderũ imagines plane repræſentare adſtruunt, quos & ideò ab iis virtutes in ſeſe cõcepiſſe crediderunt & experimento cõprobaſſe teſtati ſunt. Quid nanque philoſopho naturali mirũ exiſtimare ſimilitudinẽ Gemmarũque cum cælo cognationẽ maiorẽ, efficere vt eius viribus obnoxius pateant atq; hinc valentiores emergãt, quũ maximè ſimilitudo & extimulata tãdẽ germanitas materici aptã præparationẽ, & cęlo obnoxiũ conſenſum non obſcurè ſubindicet. A cunctis ſiquidẽ phyſiologis receptum eſt quòd agentiũ actus fiunt in patiente

tiente diſpoſito (libet enim eorum vulgatam multum ſententiã ad verbũ referre) quódque ſingulæ ſimilitudines ſeſe natiuo quodam affectu appetunt. Verùm ne hæc quidem abſurda iudicauerit, qui monimentorũ magicorũ aſtrologicorumq́ue non inuitus meminerit. hi quippe in rebus ſimilitudinem non mediocre ad effectus naturales habere robur certa veluti hypotheſi ſtatuere. Sed vt magica omittamus quibus vel ſolo nomine multi terrentur, aſtrologicum aliquod adferemus exemplũ. Inter omnes aſtrorũ peritiores conuenit (quibus etiã medicorũ non vulgariũ bona pars facto periculo ſubſcribit) Leonis imaginẽ aduerſus calculũ amuletũ eſſe: ſi tamẽ ſtato tẽpore, hoc eſt ſole Leonis primũ gradũ occupante in auro ſculpta, à collo portetur. Cuius rationẽ nemo, crediderim, aliã facilè attulerit ſaltẽ naturalẽ, quàm conſenſum appetitũq́ue quendam rerũ cæleſtium cũ congenea figuratione, in conuenienti materia ab iſta ſaltem harmonia inuitatũ procuratumq́ue. Propter quẽ virtus illa cæli quæ conſtituto illius configurationis tempore pollebat,

Hęc ſũt cãdide lector, quæ obliteratione digna cenſor noſter iudicauit.

bat, à iam dicta parilitate et materię, id est auri, ad mensurã præparatione, in aurũ iã dicta imagine figuratũ allicitur, trãsfũditur, cõmeat: quę proximũ, gestãtis scilicet, corp⁹ sua vi afficit, qua à calculo ipsũ tueatur. Veruntamen nolim censoré nostrum imitatus intelligas, philosophos illos, vel etiã me sentire virtuté hanc esse imagini, sed auro tali effigie figurato & efformato transfusam, vt scilicet subaudias illos existimare quòd prępáratio, qua per sculpturam dictę imagini fabricandę necessariã, aurũ cælicis radiis & influxibus concipiendis abunde disponitur, efficit vt materia hæc patentior reddatur cælicis afflatibus admittendis, & (vt ait M. Vitruuius lib. 1. de Architect. cap. 6.) de latentibus cæli rationibus, artificiosis rerũ inuentionibus, diuinitatis exprimere veritatem rerũ peritus vir posse credatur. De quibus fusius suprà disseruimus. Sedenim ne philosophorum illorum placita absurdiora putes, quàm vt humanã apparentemque saltem aliquam non habeant rationem: Maximè autem quo feliciora, sublimioraque ingenia oblectemus (non verò

Hactenus quæ oblitera fuere, uide quàm recte.

verò ꝙ ita esse statuamus) annotãda imprimis & hîc nobis videtur Platonis illius celeberrimi & multorum non mediocrium philosophorum celebrata vulgataque sententia, quòd scilicet mundus est animal vnum, vna quadã anima intellectuali (ea est de qua paulo antè disceptauimus) sub mente principe omnium creatrice vita donatum, quæ (menti obsecundans) congeneo suo spiritu per omnia diffuso vniuersum orbem alit, fouet, moderatur. Cui & id Maronis egregii illius non minus philosophi quàm poëtæ subscribit: Omnia spiritus intus alit, totãque infusa per artus, Mens agitat molem. Quibus non obscurè ostendit naturam hanc transmutationi obnoxiã à natura stabili ordinatriceque regi: singula etiam artus & particulas esse quasdã mundani illius ac magni animalis, eademque saltem cõmuni vita viuere, adde & communi quodam spiritu in propria munia extimulari. Ideoque & illorum est consilium, vnam in omnibus vitam sub mente esse ac vigere, quę cuncta eius vi & imperio peragat. Ita tamen vt ad suas functiones

Mundũ esse animal unũ sensit Plato

Vna in omnibus uita, omnia inuicem conspirare et cõpaßione quadam communicare.

ctiones obeundas tum cælicis, tum nonnunquàm etiam rudioribus instrumentis vtatur. Quapropter & in hac communi omnium vita sentiunt singulas formas cùm inuicē, tum per animā illā vniuersalem ad omnium vltimum finem, hoc est supremū ipsum bonum, tandem conspirare, vt & quæcunque fiant mundi opera sigillatim mundi partes sint vel ad eas spectent vt & ad totum. Quod & ipse Pythagoras suis numeris demonstrare contendebat dum vnitatem omnem numerum constituere, dualem primum, atque ex vnitate & binario ternarium (id est Trinitatem quandam) comprehendi, deinde & in simplicem vnitatem alium omnem numerum resolui, multa ingenii dexteritate differebat. Verùm vnde digressus est noster tandem redeat sermo. Senserunt item & philosophi illi quòd citra substantialem proximamque caussam non posit in hoc inferiori mundo naturaliter produci substātia, nec sine viuente caussa viuens quippiā generari: deinde & duce quodā communi diuersa quæque conciliari. Proinde & per substantialem illum

Pythagoræ de Trinitate et unitate per numeros cōpēdiosa sententia.

illum mundanæ animæ vbique præsentẽ ſpiritũ omnia conſenſum, cuius nunc cõmeminimus, participare volunt. Adde ꝙ & inter philoſophos conuenit, quòd lumen intelligentiæ eſt actus, intelligentias quoque & ſuperiora lumine & ſpiritu nõ modo cõmuni, ſed & ꝓprio agere. Quid igitur illis arduũ fuit opinari ſpiritũ illum vniuerſalem, cæli vim materiæ ad eã ritè paratæ admouere, vnde rationis eius ſeminalis virtus ad opus pridem à creatore inſeminatum exſuſcitetur. Præſtat tamen Chimericam illam animã, Chriſtianis incognitã, philoſophis in hanc perſuaſionem ductis relinquere: & attendere iis quæ ratio diuinis oraculis ſubnixa ſuadet, & quotidiana naturæ conſuetudo commonſtrat. Naturam autem ſic operari videmus vt cæli lumen non deſit, & rationum ſeminalium in elementis, id eſt in ipſa materia, latentium per id excitetur fœcunditas. Quemadmodum quippe prudens agricola terram ſemẽtemque, ſic ſua arte ac diligentia præparat quò ſpeciẽ rei cuius in ſemine rudimentũ aliquod à natura deliteſcere ſcit, cælum omnibus

numeris

numeris felicius absoluat, Ita & solertissimam prouidissimamque naturam, vel hominem artificiosum aurum lapillúm ve sic aptare posse putant, vt quæ in iis per creationem cœpta est virtus, vel inssita, per naturam, vel artem eius quamproximè æmulam, ad perfectionem tandem extimuletur. Proindeque nulli iam mirum sit quòd philosophi illi senserunt, cælum & artem sese inuicem non rarò iuuare. Quòd enim pro cælicis concipiendis viribus & materiis decenter adparandis cælestium motiones & situs obseruare docuerint, vel ideo saltem, quòd hæc ad materiam pertineant, aliter vel aliter aptandã. Nempe quòd elementa pro illorum motu positione, propinquitate aut distantia qualitates euariãt, quas non pauci rerum naturalium proximas effectrices ve caussas existimant, vel saltem in hoc superioribus ministrare quòd pro eorum mixtura & temperamento formam quandam edant quæ ad specificã quàmplurimum disponat. Vt & id sit euidens quod superiore capite prætexuimus, Deũ ordinem quendam constituisse omnium
rerum

rerum & à se & ad se. Quem Deum credi, non ab re potest, supra ea quæ ab vniuersali rerum naturalium confluxu quæque species & quoduis indiuiduum recepit, proprietatem quandam humano captui, non ratione, sed solo experimento peruiam, ad hominis vsum, liberalissima sua pietate infudisse atque impartiuisse. Vt & vtilitatem inde homo capesseret, & tanti tãque reconditi operis admiratione illectus, ad Dei & Domini sui omniũ creatoris contemplationem amoremq́ue raperetur conuolaretq́ue. Hic nanque ordo vniuersi, & hæc rerum proprietatumq́ue admiranda varietas, dũ ab intellectu diligentius auidiusq́ue introspicitur, illuminatis tandem mentis oculis, principiũ suum, quod est bonum ipsum, id est Deũ, refert incõprehensam sublimitatem, maiestatem, simplicissimã, sapientissimam, potentissimam, benignissimamq́ue virtutem atque bonitatem esse. Sed institutum tandem absoluamus, forsitan enim longius palati discessimus. Itaque tametsi Trimegistus ille non absurdè videri possit sensisse, quòd cælum lapillis vires ab-

Cur proprietates occultæ rebus à Deo inditæ sunt.

ditas

ditas impertiatur, proximę tamen earum caussę non meminit, quam inter philosophos conuenit in materia consistere, & inde suas promere functiones. Qua ratione patet cælum ipsum materiale ac extensum non esse principem proximamque, vel si mauis, coniunctã caussam earum quę in Gemmis latent potentiarum. Quamobrem quum superius ostenderimus, reconditarum virium caussas à nulla fieri complexionali qualitate, sed nec ab aliquo elemento aut forma elementorum temperiem primariè atque essentialiter consequente, voluit Albertus ille magnus cum numerosa non mediocris literaturę ac iudicii virorum turba, quòd species seu substantialis Gemmarum forma sit delitescentium, quę ex iis experimur, facultatum caussa effectrix atque immediata. Quanquàm nec illi fortè negarint substantiali illi formæ vim aliquam adiici cælestem, quæ vel seipsa, nonnunquàm autem Gemmarum adiuta temperaturis elementalibus præcipuæ illi caussę suffragetur. His autem non de nihilo subtexendum videtur, quòd quæ Gemmæ natura

Alberti magni de proprietatũ essẽtiali caussa sensum.

purissimæ

purissimæ nascũtur, & ab omni sorde defecatæ nullam artis præparationem ambiunt, nisi vt ritè corpori admoueantur & nihil obstet. Quæ vero terra aut crusta obductæ, preciosum intrò condunt thesaurum & gratam pulchritudinem, mangonum officio, abiecta crusta, & virtutibus & illecebris diffundendis idoneę redduntur. Neque etiam tibi persuasum velim Gemmas æqualiter suis functionibus corpora quæuis etiam humana afficere. Quandoquidem pro corporum cum cælicis orbibus & afflatibus, vnde vim lapilli mutuati sunt non modicam, maiori vel minori consensu, aut eorum corporum conueniente vel aduersante temperamento & innata proprietate, efficacius aut segnius Gemmas operari contingit.

Nõ in quęuis corpora Gẽmas æqualiter operari.

Primi libri finis.

DE GEMMIS
LIBRI SECVNDI,
Argumentum.



IActis instituti nostri fundamentis, ab ipso secundi huius libri limine prætexendum videtur, quòd Diuus ille Ioannes Apostolus Ἀποκαλύψεως, id est reuelationis lib. cap. penult. Dũ ciuitatis sanctæ Hierusalem de cælo descendentis, ac Dei claritate illustris structuram describeret, tredecim Gemmarũ non sine magno sacramento (quod ne in aliena messe metamus, in pręsentiarum prætermittimus) commeminit. Quas non pigebit, ex ordine eo loci seruato, hîc quoque recensere. Neq; enim video qua meliori ratione, Dominus omnium Deus nobis commonstrauerit diuinas quasdam Gemmis inesse naturas & proprietates, q̃ iis ipsis cęli muros, hoc est eius virtutes, vel (si ma uis) Christi Iesu cũ duodecim eius Apostolis, Ecclesiæ videlicet capitis & columnarum

narum amplitudinem, maiestatē, cumulatam denique nobilitatē & inuincibilem virtutem per Gemmas designando. Sunt itaq; omnes eę Iaspis, Sapphirus, Carchedonius, Smaragdus, Sardonyx, Sardius, Chrysolithus, Berillus, Topasius, Chrysoprasus, Hyacinthus, Amethystus, nouissimas vero fecit Margaritas. De singulis autem his hoc libro primum ex ordine disserere consilii est.

De Iaspidis speciebus & uiribus. *Caput* I.

IAspidis plura ab autoribus enumerantur fastigia. Ea tamē quæ apud Indos nata Grammatias, aliis Polygrāmos vocata est: quæque virens, Smaragdo quadantenus similis pellucet (vt & hinc sola substantiæ crassitie ab hoc desciscere ferè videri possit) supremā obtinuit maiestatem. Ab hac verò diuersa multum Cypria visitur, colore glauco, substantia pingui, Gallis Iaspis alba dicta. Persica æri similis, Aerizusa nominata, cōspicitur. Thermodontiaca autem Iaspis cęrulearū optima est. Cappadox ex purpureo cæruleum refert in materia opaca, ideoq; non fulget.

Phrygia ruboris nonnihil admisit, Thracica Indicæ æmula, Chalcidica turbulenta ac variæ multum substantiæ, omnium minimè iucũda. Cunctarum vulgo præstantissima est quæ purpuræ quippiã cõplectitur. Secundum habet locũ quæ roseum quiddam nacta est. Tertiam obtinet dignitatem quæ Smaragdum: quartã quę Autumnale matutinum serenumq́ue cælum imitatur. Est & quædam Iaspachates ceu Iaspidẽ Achaten quoq; cõplexa, vires vtrarumque perstringere credita. Sunt & aliæ (Autore Vincentio) peregrinæ Iaspidis species ex Thetel enumeratæ. Nã inuenitur (ait) in Iaspide scutum habens in collo & cuspidem in manu & sub pedibus serpentem, qui habeat contra omnes inimicos virtutẽ. Item & alius in quo sit homo habens fasciculum herbę in collo, cuius virtus sit omnes discernendi morbos, ac sanguinem restringendi: quem Galenũ in digito gestasse referunt. Deinde & cruce signatum viridem reperire est ne quis submergatur efficacem. hactenus ille. Hic itaque ferè indigitauimus optimã principemq́ue Iaspidem, virentem illã & Indam

Iaspis quæ optima.

dam quę (quòd præ cęteris amuletum esse credatur) Polygrãmos nuncupata existimatur, quę tamen celeberrima asseritur, si ex viridi purpureũ quiddã complexa, alba pręcingatur linea. Vnciis vndecim magnam vidisse Plinius testatur, indeque arte consculptã Neronis thoracatã effigiẽ. Porro quòd ad vires attinet, omnes pro singulari aduersus perniciosissima quæq; venena amuleto toto Oriente deferri, idẽ Plinius in scriptis reliquit. Verumenimuerò eam quæ Grãmatias dicitur, alba insignem linea præferunt, quæ si geminata candidam efferat crucem, à nonnullis firmiter prædicatur ferentẽ adeò contra aquæ iniurias adserere, vt & hũc à submersione vindicare queat. Galenus medicinæ vsui illas esse confirmat, quòd suo adhęsu stomachum firment, quem ventriculi os esse idem autor dixit. Illiusque rei se periculum fecisse profitetur, Torque videlicet ex Iaspide à collo ita suspenso vt stomacho è directo respõderet. Affirmatque sibi corã exploratum esse sculpturæ expertes nihilominus prodesse, quàm si dracone radiato figuratæ fuissent: quales Nichep-

Iaspidis uires.

ſus rex inſculpi inſtituit, vt idem Gale. refert. Adde quòd Iaſpis mulieribus menſes cohibet drachmæ pondere deuoratus, ſanguinem ſudoremque cõpeſcit, Hydropem & febres arcet. oculorum aciem ſuo virore reficit. Venereorum petulantẽ appetentiam retundit. Partum proprietate quadã occultiori moderari creditur. Sunt qui ab aduerſis caſibus geſtantem liberare, phantaſmata pellere, conceptioni aduerſari, & oculos ab omni ſorde purgare Iaſpidem dicant.

De Sapphiro. Caput II.

Sapphiri differentiæ & nomina.

IOui Phœboque antiquitùs ſacrã ſaphirũ in duo partiuntur pręcipua diſcrimina. Sunt nanque quę Orientales ſeu Indę, ſunt & quę Podię, à loco ſcilicet ſuæ generationis, appellãtur. Inuenio quoque illã & Syrtitem, ab inuentionis loco, vocari. Quanquàm non eam putauerim eſſe cuius Plinius meminit lib. 37. hiſt. natura. ca. 10. his verbis: Syrtitę (inquit) in littore Syrtiũ, iã quidẽ & in Lucania inueniuntur è melleo colore refulgentes, intus autẽ ſtellas continent lãguidas. Tametſi nanque nomine & originis loco cõuenire videantur

dcantur

deātur, color tamen huius ſyrtites, è melleo croco refulgens, manifeſtius reclamat quàm vt à quoquā ſuſpicari deceat hanc ſyrtitem eſſe ſapphirū. Sapphiri nanque cæleſti colore conſpicui ſunt. Porro earū quę apud Medos reperiuntur, ſupremā ſibi maieſtatē vendicarunt quę ſereniſsimi vernique cæli colorem efferentes, cęruleæ cōſpiciuntur, & ceu transfuſas nubeculas (immiſta etiānū leui quadā purpura) repręſentant, vt videlicet ſulphuris primū accenſi colorē referant, aureis inſuper pūctis colluceant ſcintillentq;, ita tamen vt viſus aciē materiei craſsitie rētundant, vt & admotarū rerū imaginē ſpeculi inſtar minimè reddant. ſunt itaque hæ optimæ ſapphiri. Multæ tamen aliæ viſuntur quæ quo magis ab his vel ſubſtantia vel colore deſciuerint, eo viliores cenſebūtur. Inter quas quę tanq̄ ſubcandicantes quaſdā nubeculas oſtentant, pręferuntur, vt ab optimis primum ſibi locū occupauerint. Supremā olim ſapphirū autoritatem habuiſſe, vt & apud Diuos gratiā, ipſa perhibet antiquitas. Tam quippe diis, Phœbo maximè, gratā hāc Gemmā cauſſantur,

Sapphiri deſcriptio.

vt tũ pręcipuè ſua huic ſacra placuiſſe creditũ ſit, cũ inter hęc ſapphirũ (tanq̃ videlicet concordię ſignaculũ) etiã ſi non citra faſtũ ſuperſtitionéque, oſtentarent. Qua de cauſſa Põtificibus imprimis, dein etiã regibus, ſummis denique viris, præ cæteris dignã ob propemodũ diuinas illius facultates philoſophi iudicarunt. Venereos cõpeſcere affectus creditur, ideoque caſtis pręcipuo vſui eſſe perhibetur: deinde animi in Deũ propenſionẽ, deuotionẽ, pietatem, conſtantiã, pacis ambitionẽ, deorũ munera, opimaque (quod ad hanc vitam ſpectat) beneficia inuitare conciliareque fertur: vt vel hinc eccleſiaſticis pręſulibus omnium maximè dignã rude etiã vulgus profiteatur. Addunt & contra iracundiã, inuidiã, fraudes & triſtitiam pollere. adeò ſcilicet contra effrenes animi mores efficax eſt crędita, veruntamen hęc ad animã pertinent. Corporis pręterea incrementũ moliri, ſolidas principeſque fouere & aſſeruare partes, cordis oculorumque vires reficere, horũ excreſcentias et puſtulas inhibere: ruptas quoque mẽbranas cogere Gale. & Dioſcorides autores ſunt. Addũt

Sapphiri vires.

&

& aduersus scorpiorum ictus & intestinas exulcerationes bibi, venenis etiã pestiferis resistere, & contra veneficia omnia, adde etiã & incãtamenta prȩsidio esse, febrientes cordis venis pulsantibus admota iuuare, sudorem arcere, sanguiné continere, carbunculis abscessibusque calidis, pestiferis præsertim, mirũ in modũ aduersari tradunt. Cõmentitiũ puto quod à plerisq; dicitur sapphirũ Carbunculo extincto viribus destitui. Sunt & qui falsò iactent sensisse Dioscoridé quòd sapphirus araneã in pixide repositam occidat, si diutius supra animantem pendula admoueatur. Mitto preterea quæ de hoc lapillo superstitiosorũ magorũ præstigiosa vanitas nugatur.

De Carchedonio. *Caput* III.

CArchedoniũ è Carbũculorũ esse generibus Plinius inter Latinos philosophos locupletissimus testatur. Quanquàm & hîc prȩmonitũ te velim ferè omnia tã Grȩca q̃ Latina Apocalypsis exéplaria Calcedoniũ habere: quũ tamen de hoc nomine vocato lapide nihil apud Autores classicos inuenerim, de Carchedonio auté multa. Vt & hinc non ab re pu-

tem ſcriptorũ incuria vtraque exẽplaria iam olim vitiata eſſe, quæ præſtruere viſum eſt ne ſacri textus veritatẽ ac dignitatem neglexiſſe videremur. Porro Carchedonios putãt imbre diuino generari. Luna plena maximè reperitur. In Naſamoniis montibus naſcitur, deinde & apud Thebas in Aegypto: verũ quàm prædicti obſcuriores ac magis fragiles, venoſi & morientis carbonis haud abſimiles. Neque etiam deſunt viri non incelebres qui iuxta Baſileã Argentinãque claras multũ & inſignes Germaniæ ciuitates quoſdam Carchedonios reperiri adſtruãt. Præterea Autor eſt Symphorianus Cãpegius in Lotharingia quoq; Carchedonios oriri miræ magnitudinis, & ſi ferro percutiantur ſonoros, quos & vi præditos ſcribit aduerſus raucedinẽ: vocemque clarificare. Ego verò abſolutiſsimo Carchedonio cũ Lotharingo collato hunc nõ putauerim (tãti viri pace dictum ſit) eſſe verum Carchedonium. Quandoquidem optimus colore conſpicitur medio inter Berillum & Hyacinthum accedente etiã leuicula quadã & ſubardente purpura, vt & proinde

Carchedonij Geneſis.

Carchedonij deſcriptio.

facilis

facilis ſit ſuſpicio coiiſſe Berillum cum Hyacintho. Ideoque Carbũculis pallidior & ſubobſcurior viſitur, quanq̃ & ſole vel igne acrior excitetur. Dicunt etiã Carchedonios vmbrã purpureos oſtendere, ſub dio verò flãmeos videri, & ſoli expoſitos ſcintillare. Qui autem à Lotharingis paſſim circunferuntur rubri ſemper æqualiter conſpiciuntur, tantùm abeſt vt prædictos gratia & proprietatibus adſequãtur. Quãobrem ſpurium potius Lotharingũ Carchedonium eſſe iudicauerim, vel omnino ignobiliorem eius quandã ſpeciem. Prętereа cõmune omnibus Carchedoniis inuenio, quòd cerã ſignandã ſuo contactu ita quidem liquefaciant, vt eius adhærentem partẽ conuellant. Carchedonii (vt in omni Gemmarũ genere) Maſculi acrius, Fœminæ languidius fulgent. Scalpturæ contumaces eſſe Carchedonios inuenio. Cæterum facultates eis tribuunt non obſcuras contra Cacodæmonas, & atræ bilis ſymptomata, hoc eſt triſtitiam timoremque. Neque deſunt qui victoriam ei promittere audeant qui illũ ſecum geſtauerit, fertur & feſtucas calfactus trahere

Mas et Fœmina.

Carchedonij uires.

here. Pręcipuę autem dignitatis ſunt mares qui ſtellas intus ardenteis oſtentant, vel cæleſti hoc ſchemate diuinas ferè eius vires atteſtante.

De Smaragdo. Caput IIII.

VIridium Gemmarũ iucũdiſsima primaq́; habita Smaragdus. Nullus nãque colos oculis æquè placuit, quòd horũ acies virore maximè demulceatur, vt & eapropter viridaria viſus & animi recreãdorũ gratia petantur. Ideoq́ue fit vt nullis lumina noſtra lapillis quàm Smaragdis plus oblectamenti conſequantur. Nihil quippe cum herbis de viriditate meliori ratione certauerit, quum etiam quarundam virorem non raró Smaragdus superet. Porro optima apud Scythas in altiſsimis montibus ac in metallis aureis naſcitur, vnde non ſine magno diſcrimine ac negotio ſolet adipiſci: Gryphis alitibus ferociſsimis in iis auro nidificantibus & illas tutantibus ab Arimaſpis vnico in fronte media oculo inſignitis, viris armatis eò auri & Smaragdorum cupiditate nimia conſuetis accedere. Cæterùm quantũ reliquas virentes Gemmas Smaragdi

Smaragdi Geneſis.

Vide de Arimaſpis.

ragdi ſuperant, Scythicæ cùm ſubſtantiæ puritate tum viriditatis illecebra reliquas ſui generis ſpecies antecellunt. Secundam verò ſibi dignitaté Bactrianæ vendicant. Ab his autem Aegyptiæ. Quãquàm & in Britannia maiore (quam nunc Angliam vocant) reperiri non ignobiles, autor eſt Albertus magnus. Poſt generoſiſsimas itaque quæque, pro ſui puritate & viroris conſtanti pertinacia, ſuperior aut inferior æſtimanda fuerit. Porro præclariſſima Smaragdus virenti iucunditate amœniſsima prata proximè repræſentat, ſolaque præ omnibus aliis intuitum vbertim explet, & multo labore hebetatam oculorum aciem reficit: vt vel hinc apud ſculptores maximam inierit gratiam. Quinetiam è longinquo ſeſe efferunt Smaragdi quòd vicinum circunfuſúm ve aërem ſuo inficiant tinctu. *Optimæ probatio.*
Tametſi verò duodecim eius enumerantur omnia faſtigia, principis tamen & abſolutiſsimæ deſcriptionem hîc adnotaſſe ſat nobis fuerit. ea ſiquidem cognita, reliquas pro ſuis meritis metiri ac æſtimare haud difficile fuerit. Selectiſsi-
ma

ma itaque Smaragdus ea eſt quæ viridiſſima, lucidiſsima ac puriſsima exiſtens, ſuo quidem virore oculos conſtanter explet ſatiát ve: ita vicinum aërem proprio tinctu inficiens, vt neque ſoli neque vmbris ſeu lucernis cedat: quin potius perpetuo contumacique virenti fulgore ſemper irradiat, ſui ſemper præbet cõſpectũ, ſubſtantia pertinaci ac duriſsima. Porrò Smaragdorum quę planę ac leues, ſpeculi ſpeciẽ referunt, & imagines rerũ admotarũ ſupinę reprę ſentant. Ideoq́ue in ſcriptis eſt, Neronem gladiatorum certamina Smaragdo conſpexiſſe. Vires huic adſcribunt prę ſtantiſsimas aduerſus venena omnia: vt & hinc octo granorum hordei pondere in polline deuorata, venenatos à morte vindicare potens iãpridem explorata ſit. Affirmant etiã ſerpentis oculos diffluere ſi optimã Smaragdum diutius intueãtur. Comitiali præterea morbo vel à collo pendulã vel annulo geſtatam, ceu amuletũ generoſum prodeſſe Hæmitriteũq́ue ſanare, confirmant. Iã verò apud omnes conuenit lapidẽ hunc rerũ Venerearum impatientem eſſe. Vt etiã Alber-

Smaragdi Vires.

tus

tus ille magnus adſeuerare non dubitarit, Regi Hungariæ cum vxore rem habenti, Smaragdum quã annulo portabat in tres diuulſum fuiſſe parteis. Proinde palã eſſe creditum cõperio, ad caſtitaté non mediocrem hunc lapillum habere proprietatem. Addunt denique & ipſum memoriã fouere, viſum recreare, opes augere. Mitto quæ de lapillo hoc ſuperſtitioſorum magorum nugaciſsima impoſtura mentitur. Porro qui non vſqueadeo virent, vino & oleo abluti (Autore Plinio) emendantur.

De Sardonyche. *Caput* V.

SArdonychas olim Romanis in magno fuiſſe precio autor eſt Demoſtratus. porrò numeroſa ſpecie viſuntur: quarum India parens eſt celeberrimę habentur. Poſt has Arabicis laudem detulerunt, circuli præclaro candore, nec tamen nimis gracili, verùm in vmbonibus nitido. Optimæ auté iudicantur quę colore conſtant veluti carnibus humanis vngue interfuſo (qualem audio vulgus incarnatum vocare) vtroque nihilo ſecius colore vtcũque pellucido atque languido, ceu ſcilicet quis rubricam viſum tranſmittere intelligat

ligat affuſo etiamnũ colore vtcunque glauco. Itaque Indicę præſtant colorum quoque varietate ſuam oſtentant dignitatem, vt vix in alia Gẽma depingẽda naturę diuina ſagacitas magis reluceat. Ex his nanque generoſiores, radice tanquàm à baſi quadam nigricante(quam quis, non iniuria, è nigro ad cæruleum deſciſcere crediderit)Onychas primum quadantenus repręſentant: hinc imitante Sardium ſubrubente zona præcinguntur, à qua deinde linea alba in gyri modum ambiuntur: Tandem vero lata atque diuerſa intercapedine in ampliorẽ, nec minus artificioſum, ac candidũ circulum meant. Poſtrema omnib⁹ iis Zonis, veluti baſis quædã altera ſubſternitur, quæ vt Arabibus nigerrima eſt, ita Indis cerea vel cornea cóſpicitur, quaſi videlicet in candido pingui vnguis humanus transfundi, accedente etiam ſubobſcura quadã nubecula, exiſtimetur. Ideoque nemini mirũ eſſe debeat, ſi quis ſardonychas ex Sardii, Sardę & Onychis coitu fieri ſuſpicetur, quum ſardonychas palàm ſit trium illarum Gemmarum referre colores ac ſubſtantias. Præferuntur

Optimæ deliniatio.

runtur quibus candidæ vel purpureæ zonæ sese ex ordine, citra alterius rei intermistioné, recipiunt, & albicantes circuli, immista leui purpura, cælestis arcus anhelationem quandã referunt. Melleæ verò & feculentæ reiiciuntur, cum iis etiam quibus circulus aliquis sese quidé diffundit, non autem recipit. Aduersus venerea pollere & animi fastum, Onycharũ item nocuos effectus arcere creditur. *Probatio.* *Potentia.*

De *Sardio.* *Caput* VI.

SArdium à Plinio Sardam vocari inuenio. tametsi non desint viri non incelebres qui ab hac Sardium multũ discriminari iudicent, quòd videlicet hic ruber, illa verò alba visitur: forsitan vocum vicinitas Plinio imposuit. fuit autem Sardius apud antiquos non infimi nominis: nunc autem nullus aut minimus eius vsus. Porro colore conspicitur rubro, verũ subobscuro, vt si quis imaginetur terram rubricam pellucere quidem, sed subobscura offundi nubecula. Adeoque is sui generis optimus censetur, & quò latius ab hac perfectione reliqui abibunt, hoc minus nobiles iudicabuntur. Timorem pellere, auda- *Sardij deliniatio.* *Probatio.*

Virtutes. ciam præstare, à veneficiis maleficiisque gestantem adserere, sanguinem è naribus fluentem cõpescere, animo lætitiã, ingenio quoque acumen inuitare, perhibetur. Onycharum prætereà retundere iniurias creditur: vt vel hinc Sardonychas innocuas esse cõfirment, quòd Sardium complectuntur. Sardii item mares acrius fulgent, ideoque prę̃stãtiores habentur, quod & aliis ferè Gemmis commune est.

De Chrysolitho. Caput VII.

Chrysoliti species & Genesis. CHrysolithos multiplici discrimine partiuntur, quarũ ignobiliores Arabicæ dicũtur, quòd vario colore ac turbulento conspectu sunt. Reperio etiam & Chrysolithos in Germania nasci, in iugis scilicet Mysinacis et locis cõterminis, splẽdore tamen ad candidum lãguido, quàm aliæ magis fragiles. Selectisimarum India nutrix, quæ quadãtenus ceruleę sunt, *Optimæ descriptio.* marinæ aquæ virorem ita præ se ferentes, vt aurum in colatione quadã veluti argẽti facie cogãt albicare. *Facultates.* Porrò, partibus respirationis, adeoque Asthmaticis Chrysolitum conferre tradunt. Aduersus pusilanimitatẽ, & contra melancholicos metus

tus ſtultitiamq́ue pro amuleto defertur. Dęmonas prauos pellere, ſapientiã, animi quoque conſtantiam promouere creditur. Nocturnis item pauoribus, & moleſtis interſomniis aduerſari crebrò ſum expertus. Addit & Techel Iudæus philoſoph⁹ Chryſolithos reperiri inſignitas fœmina, vna manu auem, altera verò piſcẽ continente: mercatoribus vtiles quòd ſtultitiam pellant, inuitent autem ſolertiam, qua illi ſuis negotiis bene abſoluendis maximè egent. Quanquàm & id ſuam abundè redoleat vanitatem.

De Berillo. *Caput* VIII.

BErillorum India parens eſt, ita vt rarò alibi oriantur. Eſt autem Berillus vna ex virentibus lucidiſq; Gẽmis. Probatiſsimę ſunt quæ limpidi maris virorẽ ꝑximè referunt. Ab his Chryſoberilli paulo languidiores, fulgore in aurũ vergente, laudãtur. Sculpũtur ſingulę forma ſexãgula, quò color alioqui hebes & lãguidus angulorum excitetur repercuſſu, vix nanque aliter politi fulgent. Porro quamuis decẽ eius faciant genera, ſat tamen nobis eſſe putamus principẽ indicaſſe, vel hoc prę-

Berilli probatio.

ſertim nomine ꝙ hac cognita, facilè cuiuis fuerit reliquas ſpecies ad iam indigitatæ Berilli faciem metiri. Oculis humentibus, ructibus, ſuſpiriis, iocineris quoque malis, illius ex aqua dilutum (infuſionem noſtri Seplaſiarii vocant) non mediocriter auxiliatur. Inuenio & hanc Gemmam aduerſus hoſtiũ iniurias, & contra ſegnitiem pollere, ingenio prodeſſe & cõiugatos inuicem conciliare.

Vires.

De Topazio. Caput IX.

QVæ de Topazii inuentione varia adferuntur, tanquàm à noſtro inſtituto aliena (quod & in ſingulis ferè capitibus obſeruare adnitimur) omittimus. Porro Topazium Gemmarum ampliſsimã tradit Plinius, vt etiam Arſinoæ Philadelphi vxori ſtatuam præbuerit quatuor cubitorum in delubro aureo ſacrã. Duplex eius differentia eſt, priorem Praſoiden, id eſt porraceam, alterã autem Chryſopteron: rectius autem Chryſopterin (hoc eſt ad filicis herbę virorem inclinantẽ) nuncupant. Neque enim à voce Gręca πτερὸν Latinis alam ſignificante aut pennã, verũ à voce πτερὶς filicẽ herbã indicante, Chryſopterin

Duplex Topazij genus.

ſopterin deriuari putauerim: eſt nanque filicis viror q̃ porri dilutior. Vt ſit Chryſopteros vel ſi mauis Chryſopteris Topazius aureo colore, trãsfuſa inſuper blanda quadam viriditate ad glaucum accedẽte. Qualem topazium mihi æſtate ſuperiore commonſtratã fuiſſe reminiſcor, ſubſtantia quidem non mediocriter tenui, multũ autem pellucida, colore tamen ex flauo in pallidum lãguido, immiſto etiamnum aqueo quodam virore, adeoque filicis foliorum viriditatẽ repręſentante. Solæ autem hæ pręcellentium Gemmarum limã admittunt vſuq; atteruntur. Topazii laus non vulgaris profectò. Quandoquidẽ vires ei aduerſus ſanguinis eruptiones tribuuntur: ideoque vulneri admota ſanguinem è veſtigio compeſcere. iracundiam præterea ac venerea cohibere creditur. Nec deſunt qui facto periculo audeãt affirmare, quòd manus Topazium habens, ab aqua buliente citra iacturam eripi poſſit: vt quæ aquę feruorem vſqueadeò temperet vt ab ea omnem bullam mox pellat & calorem nocuum. Mirũ verò quòd vires pro Lunæ augmento aut decremento *Facultates.*

euariet: vt & hinc lunaticos iuuare perhibeatur. Sunt qui hunc lapillum ſtultitiam pellere, delirium auertere, & à momentanea morte ferentem vendicare, & phrenitidi obnoxiis amuletum eſſe prodant.

De Chryſopraſo. *Caput* X.

CHryſopraſum & Chryſopraſium Plinius ſcribere videtur. nã lib. 37. cap. 8. Topaſii genera diſcriminatim narraturus in hunc modum ſcribit: Duo eius genera faciunt Praſoiden atque Chryſopteron ſimilem Chryſopraſio. Nec ita multo poſt ſubdit: vilioris turbæ eſt Praſius, cuius alterũ genus ſanguineis punctis obhorret. Tertium virgulis tribus diſtinctũ, eſt candidum. Prefertur his Chryſopraſius porri ſuccum & ipſa referente, ſed hæc paululum declinans à Topaſio in aurum. Eiuſdem verò lib. cap. v. Berillorum diſcrimina deſcripturus: Vicinũ (infit) genus huic eſt pallidius & à quibuſdam proprii generis exiſtimatur, vocaturq; Chryſopraſus. Item & eius lib. cap. 11. Colos (inquit) appellauit Chryſolithum aureus, Chryſopraſum herbaceus. Puto tamẽ vel ſcriptorum vel typographorum oſcitantia

Chry-

Chryſopraſio, pro Chryſopraſo, & praſius pro praſus ſubſtitutum eſſe, vel hac ratione quòd vtramque aſſerit porri ſuccum referre, cui Chryſopraſi & praſi voces longè melius reſpondent, ſicuti & ibidem his pro is & Chryſopterin pro Chryſopteron reponendũ cenſeo, vt ſcilicet in hunc modum Pliniana Lectio caſtigetur. *Emendatur Pliniana lectio lib. 37 ca. 8.* Et duo eius genera faciunt Praſoiden atq; Chryſopterin ſimilẽ Chryſopraſo, & decumum vilioris turbæ eſt praſus (niſi tamen praſius vocem adiectiuum quoddam eſſe cenſeas) cuius alterum genus ſanguineis punctis obhorret. Tertiũ virgulis tribus diſtinctũ eſt candidũ. Præfertur his chryſopraſus porri ſuccũ & ipſa referente. Palam enim eſt Plinium eò loci Chryſopraſum tribus Praſi generibus conferre, eundemque præſtantiorem haberi velle. Sed hæc miſſa. *Deſcriptio.* Chryſopraſus itaque lapis porri viriditate ad aurum inclinante cõſpicitur: ideoque herbaceũ colorem imitatur. optimus itaque eſt qui aureis guttis conſpergitur. Mirũ quòd lumini tam importunum ſcribunt quidam, vt genuinum decorem per ſolas tenebras oſtentet.

Vires ei tribuunt cõtra ſacram auri ſitim: Cordis vires reficere & oculorum imbecillitatem finire creditur.

Virtutes.

De *Amethyſto.* *Caput* XI.

PRæcipua inter violaceas Gemmas Amethyſto laus & autoritas: eius autem plura enumerantur faſtigia. Porrò Indicę ſupremam ſibi vendicarunt maieſtatem: Poſt has verò Arabicæ, Armeniacæ, Aegyptiæ & quæ in Galatia reperiuntur. Infimæ omniũ quæ in Thaſo aut Cipro gignuntur, ſingulæ tamen violas vtcunque referunt, fulgent quoque, ſcalpturæ vt ſi quæ aliæ faciles. Abſolutiſsimam purpurã Indicæ repręſentant: inter quas eę quidem præcellunt quę veluti ex carbunculo irradiantis in murice roſei cuiuſdã nitoris iucundã anhelationẽ effundunt. Quarum, quæ blando quodã aſpectu tanquàm ignitam eiaculantur ſcintillã generoſiſsimæ atque efficaciſsimæ putantur. Neque etiã hîc adnotare pigebit quòd accedunt quidem Amethyſti omnes ad vini ruborem, verùm eo non adepto in violaceum finiuntur, vt purpuræ videlicet fulgor vſqueadeò igneus non ſit: ſed in vini colorem

Deliniatio.

Probatio.

rem euariet. Quanquàm inueniam & Amethyſtos quoſdam ad Hyacinthos deficere, alios verò ad vinũ magis: nullæ tamen vinoſi coloris expertes omnino laudantur. Quæ verò ad cryſtallũ ceu ſubalbida quadam ac leui purpura deſciſcunt cunctis ignobiliores habẽtur. Veneris gẽmam, coloris luxus & illecebra vocari fecit. Ariſtoteles autor eſt amethyſtũ vmbilico admotum vini vaporem primum ad ſe trahere, deinde eum diſcutere: proindeq; à crapula & ebrietate ferentẽ vindicare. homini præterea contra topica amuletum eſſe cõperio. Addunt & alii malas illũ arcere cogitationes, & pręcox fœlixque ingenium efficere. Ad hęc vigilantem & principibus gratum reddere eum à quo portetur. Sunt qui grandinẽ auertere & omnia proſpera inuitare illũ tradant. Mitto hîc quæ de hoc lapillo ſuperſtitioſi impoſtores credulis nimiũ aurib⁹ inſuſurrant, tanquàm videlicet Chriſtiano inſtituto indigna, qualia ferè ſunt etiã quædã ex iis, quæ partim paulo antè, partim etiam & in aliis huius libri capitibus, è certis tamen autoribus, retudimus,

Potentiæ.

cuius

cuius te vel ideo monitũ cupimus, ne qua egregio illi censori, an alii similis farraginis homini calumniandi ansa relicta videatur: quæ ea venia à nobis prodi posse iudicauim⁹, qua ab aliis prodita fuisse vidimus, quanquã ea omnino prætergressi simus quę pręstigiosam illam Magiã plus redolere cernebantur, quàm Christianam eruditionem deceret admittere.

De Hyacintho. Caput XII.

Deliniatio. HYacinthus à sui nominis flore nomẽ habet, eius nãq; colorẽ quãproximè repręsentat. Est itaque Hyacinthus colore quidem fuluo, ab Amethysto (Plinio teste) differens quôd quę in hoc emicat viola, in illo dilutior conspicitur, vt quis scilicet ab Amethysto ad aurum immista etiam leui quadam sed subobscura purpura, desciscere dixerit Hyacinthũ. Triplicem eius inuenio differentiam, est enim qui ad rubrũ plus inclinat, igniq́ue purpurascit magis, cui nonnulli primã adiudicarunt autoritatem. Est & alius, è fuluo croceũ repræsentans, quiq́ue igne obscurior redditur. Tertiũ è fuluo ad cęruleũ non ingratã præ se fert anhelationem, inde sapphirini

Genera.

nomen

nomen habet, cui alii supremā maiestatē adiudicāt, vel hoc nomine quòd Hyacinthi, Sapphirique naturas complecti, ex vtriusque tinctura videatur. Hic prę omnibus aliis aëra sentire perhibetur, sereno scilicet cęlo ceu gratulabūdus, impēsiùs superbiens, nubilo autē aut omnino obscuro iniucūdior, humiliorq; adparens. Probantur qui nec obscuriores nec clariores sunt, quique igni admoti vtcūque purpurascunt. Mirum quod temporum constitutionibus quique affici videantur, vt cęlo placido pelluceant: ingrato verò, tāquàm eius iniurias ægrè ferentes, tristi aspectu compareant, vt vel hinc cęlestis illum esse naturæ, non ab re, quis asseueret. Probatissimus quisque frigidissimus ore sentitur, & scalpturæ cōtumax vix tandem cedit. Porro quod ad facultates spectat, pertinaci frigiditate corpora densare atque reficere, somnum conciliare, virtutes (cordis pręsertim) tueri, à populatim sęuiente peste, cùm manifesta sua qualitate tum recondita quadā proprietate, gestantem adserere, creditur. Ideoque pro amuleto collo suspenditur è regione cordis, vt

Probatio.

Proprietas

cutem

cutem contingat. Nec desunt qui Hyacinthum confirment diuitias augere, & animi alacritatẽ efficere, præterea & à fulguribus portantem defendere.

De Margaritis. *Caput* XIII.

Omnibus certè notiores sunt Margaritæ, quàm vt earũ deliniatione opus esse suspicer. Porrò quòd ad earum originem attinet, varia est autorum sententia, cuius tamẽ diuersitatem dissimili earum Genesi acceptam tulerim nõ autem illorum aut ignauiæ aut oscitantiæ: nec enim video cur cuiquam mirũ videri debeat si pro diuersa cæli constitutione illarum generatio variet. Quid nanque prohibet aliter nasci eas quæ ab Erythreo mari queue à Taprobane & Toidis, vel etiã ab Arabię petũtur littoribus, secus autem quæ à Paria vicinisque Austrinis vel etiã Occiduis, septẽtrionalibusque oceanis ab edoctis vrinariis solertissima petũtur arte. Proinde Plinium rerum naturaliũ peritissimum nullius inscitiæ aut negligentiæ insimulandum censeo, quòd de Margaritarũ natalitiis aliter scripserit quàm Austrinarum, Occiduarumque nuper inuentarum

Genesis Margaritarum.

uentarũ regionũ lustratores literis prodidere, quorũ monimenta prætereo ne prolixior fiam. Sat nãque nobis in præsentiarum fuerit apud omnes cõuenire, Cõchas pro sua ætate ac magnitudine maiores, pro roris verò (appetente genitali tempore) concepti puritate vel obscuritate generosiores vel ignobiliores eniti. Qua ratione vberiorem has cũ cælica natura, quàm cum æquorea cõsensum & cognationem obtinuisse manifestũ puto. Flauescere deinde has vel igne vel omnino senecta, atq; etiam crassescere leuoréq; sensim deponere omnibus in cõfesso est. Inuenio præterea & conchas prçuisa manu apprehensura, sese continuò comprimere, vtpote suas operituræ diuitias, quare scilicet ꝙ harum caussa impetantur, inimicã quoq; manum si fortè cõprehenderint, amputare: iustissima (vel Plinio autore) tantę temeritatis, luxus & auaritiæ pœna. Est & præterea apud Vogesum in Lotharingia montem amnis Margaritarum ferax, verùm non vsqueadeo splendidę sunt. Mirũ tamen quòd quæ per genesim gratia in eis desyderatur per columbas resarcitur, quæ

scilicet

ſcilicet deuoratas puriores tandem eas cũ fecibus reddunt reſtituuntque. Præferũtur quæ candidiſsimę, lucidiſsimę, rotundiſsimæ, leuiſsimæ, & minimi ponderis ſunt, maximè autem ſi natura perforatæ ſint. Porro præcipua margaritis laus eſt, quòd ſiccitate innata corporis redundãtias abſumunt, vt vel hinc vires, ſpiritus, cor & principes corporis partes recreent. Ideoq; cõtra cardiacos & melãcholicos affectus plurimum celebrãtur, magnoque vſu cõmendantur. Adde q̀ à vulgaribus peſtiferiſque morbis defendũt & diarrhœis magnoperè conferunt, hac tamen ratione, vt vel in polline vel alio quouis modo inſumantur. Oculorum prætera abũdantem humorẽ finire, ideoque & viſui prodeſſe, oculis ſcilicet quamtenuiſsimo earũ puluere immiſſo, tradũtur. Neque enim ſolo geſtatu quippiã illas poſſe reperio, quàm inexplebili humano luxui arridere.

De Carbunculis. *Caput* XIIII.

POſteaquàm de tredecim illis, quarum ſacra Apocalypſis meminit, Gemmis ſermoni coronidem impoſuimus, pro noſtri abſolutione inſtituti, de aliis qui nunc

paſsim

paſsim in vſu ſunt lapillis operęprecium fuerit diſſerere à precioſiſsimis quoq; Carbunculis ordiri. Carbunculos itaque (ab igniti carbonis colore ita vocatos) inter ardentes igneaſque Gemmas ſupremam ſibi vẽdicaſſe maieſtatẽ, apud omnes cõuenit. Porro in numeroſas diuaricantur ſpecies: ſunt nanque qui Garamãtici, Indici, Aethiopici, Alabandici nominantur, ſinguli ſcilicet à ſuæ generationis loco. Perſuaſum autem habeo pręſenti huic noſtro argumento abundè facturum me ſatis, ſi Carbunculorũ quatuor genera explicauero. Itaq; veriſsimo generoſiſsimoque, imo & imperatoribꝰ digniſsimo propriè vocato Carbunculo, Balagium, Rubinum, ac Granatũ Gemmas vulgatiſsimas annumerabimus: hæ ſiquidem inter ardentes ignem à certiſsimo carbunculo propius repręſentant. Porro ſelectiſsimorum carbũculorum multiplicem inuenio differentiam. Quidam enim colore vehementer igneo in modum ardentis prunæ tranſlucent, ita tamẽ vt extremus earum igniculus in Amethyſti violã deſinere videatur: ſed & per tenebras lumen diffundunt

Carbũculorum deſcriptiones & genera.

dunt non iniucundũ: ſunt & alii qui pinnato fulgore pellucent. Alii alba præcincti venula qui coloris præſtantia atque illecebra nullis aliis cedant, quibus etiã familiare eſſe perhibent inter ignitas prunas ceu mortuos languidoſque comparere, ſupereffuſa autẽ aqua, carbonibus extinctis, è veſtigio priori gratia ceu rediuiuo colore gloriabundos reſplendere: tãto naturæ miraculo, vt hinc Carbunculi genus hoc præcipuum nonnulli reputent. hunc carbunculum Apyrotum nuncupari comperio, quòd ignem non videatur ſentire. Demum & hunc ſequitur qui ſandraſtos quibuſdã, aliis Garamantites vocat⁹ eſt. Hic ex India vel Arabia, qua meridiem ſpectat, petitus ſuperiorum ſplẽdore atq; igneo colore nobilis, aureas inſuper guttas continet veluti ſtellantes: intro quidem ſemper, nũquàm tamen in facie conſpectas, hoc etiam ordine diſſeminatas, vt Hyades cum guttarum numero tum ſerie iudicari valeãt. Ideoque & hoc carbunculi genus viri quidam non incelebres cęteros albis (quod aiũt) equis præire confirmant, quòd prę aliis longè vberius

rius

rius cælestes complectatur virtutes, ſyderumque concepiſſe ſimilitudinem videatur. Qua de re & Chaldęis ſacrum quibuſdam æſtimatum eſt. Gemmarum omniũ cariſsimæ ſunt Carbunculi, vt eadem ſit earum cum reliquis comparatio quæ auri ad metalla quęuis analogia. Iucundiores tamen exiſtimantur quæ Amethyſtizontes dicuntur: quarũ ſcilicet extremus igniculus in violam deſinit ac purpuræ quandam effert anhelationem. Porro in omni carbunculorũ genere, mares fœminis excitacius fulgent, fœminę autem ceu pinguiores craſsius nitent. Quòd autẽ ad vires attinet, Carbunculi ſingulis quibus Gemmę omnes alię prædite ſunt virtutibus commendantur, vt vel hinc omnium nobiliſsimi ſint habiti. Soli ſiquidem eiaculato igne fulgoréue rutilo ſolem imitari vel hoc ſchemate palam cõſpiciuntur. Vt & hinc præ cæteris Phœbo dicari creditum ſit, quẽ cunctis ſyderibus tanquàm regem prçeſſe adſtruũt philoſophi. Ideoq; & ſolum hunc lapillum ſuam in reliquos poſſe figuram imprimere, quum tamen alius nullus in illum idem præſtando ſit.

Carbunculi uires.

Aristoteles autor est. Cæterùm Carbūculis proximā sibi gratiā dignitatemq; Balagius coloris iucunditate & illecebra fecit: Lapis quidem colore rubro & prælucido, sed qui superaffuso sublāguido quodam fulgore cramesinum vulgò dictū colorem quadantenus referat. Sequitur deinde Rubinus lapis ita vocatus laudatus maximè si per tenebras in speciem blandę cuiusdam scintillæ micare videatur & simplicissima consistat substātia. Illis denique Granati succedunt longe obscuriore ac minus grato colore, tanquam videlicet opaca quadam vmbra vel nubecula Rubinum offundi iudices. Lapis certe nō rarus, proinde & hoc çui in minimo precio habitus. Porro harum Gemmarum vt quęque magis minúsue ad verū carbunculū accedit ita cōmendatior aut ignobilior & clarioribus aut obscurioribus proprietatibus donata censetur. Balagio itaque similes ac Carbunculo facultates, sed imbeciliores tribuūt. Rubinum aduersus pestilentē aerē pro insigni amuleto portant & contra terrētia somnia. Granatum pręterea melancholiæ aduersari & cor reficere

Balagij deliniatio. *Rubini descriptio.* *Granati deliniatio.* *Probatio.* *Balagij vires.* *Rubini ꝓprietates.*

ficere credunt. Adulterantur autem omnes vitro rubore infecto: sed & elãguidos foliis bractcisque quibusdam rubicundissimis substratis excitatiores reddũt, vt nõ sit facilè à spuriis veras secernere. scalpturæ certissimæ contumaces sunt. Adulteræ cote deprehenduntur quòd fragiliore ac molliore sint comparcantque materia: sed & centrosa scobe dinoscuntur, nonnunquàm etiam pustulis argenteis intrò nitentibus. *Granati potestates.*

De *Adamante.* *Caput* XV.

MAximam in rebus humanis sibi gloriã asciuit Adamas, multo quidem æuo solis regibus & iis paucis agnitus. Nunc autem tam creber vt omnibus penè in deliciis sit & luxu. Est autem generosissimus Adamas colore ferro candenti haud absimilis, fatiscit hircino sanguine, maximè si aliquot ante dies hircus petroselino, silere montano & vino sit educatus: plumbo item dissolui reperio. Porrò in sex Adamantem partiũtur genera. Indicus non in auro nascitur, sed quadam cũ Crystallo cognatione, candore placido transflucet. Huic proximus est Arabi- *Adamantis descriptio & genera.*

cus minor tãtùm, nec alibi q̃ in ſynceriſ-
Probatio. ſimo auro generatus. Incudibus & ferreis malleis vterque deprehẽditur: ita nanque iis vterque reſiſtit vt indomitus citra omnem iacturã, à ferro & incude ſeſe explicet. Quinimo puſilla tametſi mole ignib⁹ etiam vaſtiſsimis iniectus, medius, pertinax atque illæſus ita permanet, vt nullam prorſus ignis actionem admiſiſſe (etiam ſi multos dies ibi perſeueret) palàm oſtendat, vnde & indomitam antiquis vocari Gemmã inuenire eſt. Eſt & alius Adamas Cenchron nominatus milio magnitudine reſpõdens, Alius deinde Macedonicus cucumeris ſemen æquans. Hunc ſequitur Cyprius in ſulphureum deſciſcens, qui licet à prioribus fulgoris languore deficiat, pręcipui tamen in medicina vſus eſt Plinio. Poſtremus verò Syderites ferreo fulget nitore, Hunc ab antiqua petitum minera paſsim dici audio, atq; ideo ab inerti vulgo reliquis præferri: ſic vulgus ignauũ ſuo ducitur ſenſu, vt crebrò viliſsima quęque pro optimis reponat. Hîc nanque ſyderites ictibus cedit & malleis, adeò videlicet ab adamantis natura palàm degenerans,

rans, vt vel hinc ſolam apud eos nominis gratiam vſurpaſſe credatur, qui rebus externis cõtenti ad omnem veritatem oſcitare conſueuere. Neque pigebit etiam ſecundò recenſere non ſine magno naturæ miraculo fieri, vt vis illa Adamãtis indomita, qua ſcilicet ſuarum partium integrã cõtra ferri igniſque iniurias connexionẽ pertinaciter tuetur, ab hirci ſãguine calido quidem & recẽti ita afficiatur, vt tandem cõniueat & atteri patiatur. Indeq́ue ſepoſito omni ſuperbo, quo antea gloriabatur, faſtu, malleis & incudibus cedat, vt ſeſe in minimas etiam partes frãgi, mangonum vſui, permittat, qui iis poſtea fragmentis nullam duriciem non ſuperant. Porrò maxima Adamantis quantitas auellanæ nucis magnitudinem & formam æquare perhibetur. Generoſiſsimus itaq; & ſelectiſsimus iudicabitur Adamas, qui iam narrata deſcriptaq́ue inuicta natura præditus, cryſtallo paulo obſcurior, ferrũ candẽs nitore refert, cæruleoq́ue quodam interfuſo ſplẽdore, ita quidem refulget vt flammeum ſolaremq́ue quẽdam radium tranſmittere videatur: quaſi ſcilicet vario

Mira Adamantis ad hircini ſanguinis uim diſsimulatio

Probatio.

tranſlucentiq́ue ſuo fulgore quandam cæleſtis arcus anhelationē repręſentet. Porrò vires Adamanti ferè diuinas tribuunt philoſophi, efficaciores tamen in auro, quanquàm quibuſdam placere inueniam ferream quādam tenuiſsimam bracteam ſubſterni debere. Contra venena & incantamēta amuletum eſſe pręſentaneum teſtantur, qui adamantem pręſente toxico madere cōfirmant. Ideoq; peſtiferis cauſſis reſiſtere creditur, negantq́ue ferentem faſcinari poſſe, adeò ſcilicet cacodęmonibus inuiſus eſſe perhibetur. Inſaniā, metus quoque vanos, ac terrentia interſomnia arcere fertur. Gemma reconciliationis prædicatur quòd hoſtilem demulceat furorem, & viri cum vxore neceſsitudinē foueat. Ab incubis & ſuccubis cum adſerunt qui adamantem portat. Vanū omnino & præſtigii quandam præſeferens imaginem eorum nugamentū puto, qui adamantem dicunt vxoris inſciæ ac dormientis capiti ſuppoſitum ſtatim prodere ſit pudica nec ne. Vel hac ratione quòd ipſa à mariti conſortio quaſi fugibunda ſtatim excidat, ſi quidem fideli thoro in-

Proprietates.

iuriam

iuriam impudica fecerit: adamante ſcilicet marito caſtoque thoro indignam mu lierculã hoc ſchemate palàm oſtendente. Huic lapillo natura rerũ omniũ parens ta le cũ magnete diſſidiũ ingenuit, vt illo pręſente omnem vim tractricem à magnete direptam planè conſpicias. Quin magis tractum ab hoc ferrum feroci quadam vi ab admoto adamante reuelli cernere eſt. Vt & hinc multis viſum eſſe ſuſpicer adamantem aliis Gemmis iunctum ipſarum ad ſe virtutem omnem trahere, quòd non crediderim. Cæterùm num reconditas illas vereque admirandas proprietates ad dæmonum impoſturas demandabimus, quòd earum cauſſam naturalem nemo (vt puto) adferat exactam, vti cenſori noſtro ac ſimilibus viris parum circumſpectis, nihilque ſuæ ignorantiæ cõcedere volentibus forſitan videtur? abſit nõ ab hoc tãtum vno, ſed & à quouis alio verè docto & piè Chriſtiano. Quinimo eapropter in Dei & Domini noſtri omnium creatoris propenſiorem admirationem feramur, eiuſque magnificentiam ardentiori ſtudio ac neceſsitudine efferamus. *Diſsidium.*

De Achate. Caput XVI.

MAximam tempus autoritatem ademit Achatæ, non quòd viribus minus quàm antiquitùs polleat, ſed quòd copioſior ſit: qua enim occaſione ſolet in rebus humanis elationem faſtumq́ue raritas adferre, eadem etiã multitudo, & crebrior familiaritas contemptũ parere conſueuit. Plinius autor eſt Pyrrhum Epyrotarum Regem Achaten habuiſſe, nouem muſis cum Apolline cytharam manu tenente inſignem: nulla arte, ſed ſola naturę ſolertia ac virtute, ſponte maculis ita diſcurrentibus vt muſis quoque ſingulis ſua redderentur inſignia. Porrò tam eſt vulgaris Achates vt deliniationẽ eius & genera ſcribere omnino ſuperuacaneum arbitrer. Probatiſsimæ verò ſunt perſpicuę, quæque leoninæ pelli ſimiles ſunt, vel etiam nigræ albis interſectæ lineis. Mercurio ſacrã Achaten rudis nimium antiquitas credidit, eam præſertim quæ apud Indos nata eſt, vbi vario colore, guttis etiam phæniceis conſperſa viſitur. Cæterũ n omnem Achaten venenis peſtiferis, araneorum atque ſcorpionũ ictibus, aduerſari

Probatio.

Virtutes.

uersari, prudentiam ac facundiam pręstare, ab aduersa fortuna tutari, visum fouere, cor recreare, sitim ore contentam arcere adstruūt. Nec desunt qui tum maximè efficacem scribunt cum setis leoninis inuoluta defertur, quod quàm à vanitate quoque absit, iudex esto.

De Alectorio. Caput XVII.

Alectorius Lapis in ventriculo capi reperitur, obscuri crystalli similis & colore & substātia, nisi quòd paulo crassior adparet, non excedens fabæ magnitudinem. Probatur quæ intro velut stagnantē ingesti cibi micam, modicam nec vsqueadeò obscuram ostentat. Sunt quoque qui audeant affirmare caponem in quo Alectorius sit absoluta, bibere nūquàm: ideoque strenuis militibus ex vsu esse creditur. Proinde Milonē Crotoniensem eius Gémæ in ore contentæ præsidio, nullo vnquàm certamine superatum prædicant. Porrò Alectorio vires tribuunt non incelebres contra pericula quæuis. Præterea venerem ciere, homini constantiam, mulieribus virorum gratiam conciliare, ferenti quoque facundiam præstare, potens

Genesis & deliniatio.

Probatio.

Virtutes.

creditur

creditur, ſed & ſitim ac cordis æſtum arcere ore incluſa experimento non raró conſtat.

De Torcoide. Caput XVIII.

TOrcoiden tam in magno precio eſſe ferè apud omnes conſpicuum eſt, vt multi ſuo tunc demũ luxui aliqua ex parte ſatiſfactum putent cũ pręclaram quandam nacti fuerint. Duo itaque ſunt eius faſtigia, à ſuæ ſcilicet propagationis loco nuncupata. Inferior ſiquidem Hiſpanica, Altera Indica ſeu Oriẽtalis, nuncupatur. Vtraque tamen conſimili, craſſa & minimè perſpicua ſubſtantia. Porró Hiſpanica colore vtcunq; virente, ſubobſcuro adeoq́ue ingrato conſpicitur: ideoq́ue reſpuitur ceu vilisſima. Indica autem ex herbaceo, cyaneo quodã lacteſcente nitore gratiam iniit non vulgarem. Colorem igitur prębet ceu in cęruleum ex viridi, lacteum quiddam perfuſum imagineris. Raró citra rimam venulámue reperta. Probatisſima tamen eſt quæ ſimplicisſima, & perſimili ſubſtantia, purisſimoq́ue & citra omnem labem colore ſuam cõmendat iucunditatem. Mirum quid de diuinis eius virtutibus

Genera & Deliniatio.

Probatio.

virtutibus caussantur. Noui reuera virum quendam insulanum mihi quidem multa necessitudine deuinctum, qui dum viueret Torcoiden in deliciis habebat annuloque aureo perpetuò gestabat. Is cum fortè, ex sęua ægritudine in fata concederet eundem quoque retinuerat. Tumque naturæ quodã veluti miraculo contigit, vt Torcois illa quæ superstite etiamnum suo Domino cum numerosis sui generis myriadibus de pulchritudine ac integra puritate certare potuisset, tanquàm heri sui necem lugens, longe tũ obscurior adpareret, adeoque continuò rimam per medium porraceam efferret, vt & hinc tum maximã suę maiestatis partem deposuisse videretur. Proinde de ea mihi aliquando cõparãda auiditatem abegi. Ego nanque cũ ob periucundas lapilli illecebras, tum ob ingentes vires quibus idem vir, facto periculo Gemmam eam pollere constanter asseuerare solebat: eã si quando liceret, quauis etiam ratione cõparare constitueram: sedenim meus me fefellit error, nã dum in auctione venui expositã, eandem illam litura & viciis conspersam con

temno

temno, hanc alter ciuis vili coémptam è vestigio mihi ostendit. At cum illam ego pristina, ceu postliminio rediuiua syncеritate & maiestate (renouato Domino) perspicio, occœpi mecū vehementer mirari, inopinatum naturæ ac admiratione dignissimum portentum, deinde & è re nata, meam damnare infelicitatem. Vel hoc euētu corām edoctus diuina quadam lapillum illum facultate donatū esse. Porrò, ostendendis prodigiis illustris plurimum est Torcois, vt & vix credibili virtute ferentem ab imminenti periculo (tan quàm videlicet innato cōtra aduersa quęque quodam amuleto medicamentoque) fortiter vindicare celebretur. Adde quòd cor & oculos recreare, & hilaritatem prosperitatemque adsciscere creditur.

Vires.

De Corallio. *Caput* XIX.

CORallium & Litrodendrum appellari inuenio, quod arboreus lapis adpareat in mari mollius primū crescit, inde verò duratur. Cūque sub aqua quidem vireat, statim atque hanc superarit rubescit. Adstruunt candidas illud intra aquā proferre baccas, quę extra eam in sanguineas degenerent

Genesis.

degenerent

degenerent easque & forma & magnitudine ad hæc & colore corna satiua repræsentare. Mirum quòd tactum lapidescit si viuit, proinde restibus primùm reuellunt aut ferramento acri præcidunt, qua de re curallium Theophrastus, à radendo, Grecæ voci alludens illud appellauit. Porrò arboreum esse corallium vel ipsius rami palàm ostenderint. Diuersam præterea à ferro ignito naturam coralliũ exhibet: illud nanque vt aqua, ita & hoc molliore aëre illico duratur. Commendatissimum est quod rubicundissimum vel albissimũ æquabili vsquequaque concremento, forma fruticis ac terẽti facilè cedẽs. Quod autem in lapidis exactã duritiem coiit, scrupulosum, inane, lacunosumque est, dãnatur. In magna antiquitùs, apud Indos præsertim fuisse autoritate corallium in literis comperio. Hi nanque pro eo suas olim consueuisse vniones permutare tradũtur. Nunc autem quod crebrius est, in magno adeò non est precio. Dæmonas infensos arcere perhibetur. Vt & hinc suspicandũ sit prudentem vetustatem, corallio per diuersas formas (non sine licet fastu quodã

Probatio.

aut

aut illecebra nũc vſurpetur) effigiato & ex ordine infilato preces Marianas docuiſſe numerare. Magnus illius in medicina vſus percrebuit. Quandoquidẽ refrigerat ſiccatque mediocriter. Ideoque ſanguinis reiectionibus & eruptionibus prodeſt. Album verò corallium à collo ſuſpenſum vt ſtomachũ vel pectus contingat, è naribus conſuetum fluere ſanguinem non rarò conpeſcuiſſe vidimus. Cor præterea & ventriculũ, vel ingeſtũ vel extra, vt adhæreat admotũ, roborat. Surculos eius pro amuletis infantulorum collis appendunt: fulminibus & marinis æſtibus tẽpeſtatibuſque reſiſtere æſtimatur. Proinde Ioui Phœboque ſacrum putatum eſt. Religioſum præterea geſtamen eſſe amoliendis periculis cõperio, vt decore ac religione gaudeat. Ad hæc & contra veſicæ tormina & calculi mala in puluerem vſti ſurculi & ex aqua poti aũxiliari, itẽ & lienem abſumi ſi id medicamentum ſepius potetur. Oculis deinde prodeſſe, hulcerũ caua explere, cicatrices tenuare, denique & ſurculos ex vino bibitos vel ex aqua (ſi febris vrgeat) ſomnum conciliare Plinius

autor

autor eſt. Nec deſunt qui affirment illius pollinem eroſis dentibus infarctũ ægros dentes radicitùs eruere, demum & gingiuas firmare. Cõmentitium omnino puto quòd coralli puluere fruges euadant vberiores. Quanquàm & coralli puluerẽ inueniam amaras aquas dulces efficere.

De Corneolo. Caput XX.

Corneolus Gemma eſt vulgaris minii colore, ſublanguido tamen, ceu videlicet in humanã carnem perſpicuitas perfuſa ſit. Rheno frequentiſsima eſt. Probatur quæ puriſsima iuxta ac nitidiſsima cõſiſtit ſubſtantia, colore carneo trãſlucido. Sanguinẽ propalàm cohibet, liuentes dẽtes ſuo polline emendat omnẽ ab eis detergens ſordem, Iracundũ animum placare creditur. Deliniatio. Probatio. Vires.

De Cyaneo Græcis, Cæruleo Latinis, uulgaribus autem lazuli uocato lapide. Cap. XXI.

Magnam profectò autoribus peperit obſcuritatẽ, legentibus verò perplexionẽ cærulei ſeu cyanei nominis diuerſa ſignificatio, aliis ſcilicet ſub hac voce cæruleam harenã cum cyanea Gemma confundentibus: aliis autem ſolam eadem di-

ctione

ctione metallicam harenã complectentibus. Plinius nanque natura. Histo. lib. 33. cap. vlt. ita infit, Cęruleum harena est, huius tria genera fuere antiquitùs: Aegyptiũ quod maximè probatur: Scythicum, hoc diluitur facilè, cumque teritur in quatuor colores mutatur cãdidiorem, nigriorem, crassiorem tenuioremue. Præfertur huic etiamnum Cyprium. Accessit his puteolanum & Hispaniense, harena ibi confici cœpta. Dioscorides item libro 5. cap. 97. sic habet ad verbum, Cærulei origo ex ærariis metallis, in Cypro copiosius ex harena littorali, secundum quosdam sub cauatos specus maris inuenitur, quod & magis probatur. Galen⁹ verò simpliciũ pharmacorũ libro nono, inter metalla cæruleũ reponit. Deinde Paulus Aegineta de cæruleo, Dioscoridis sententiam penè ad verbum refert: quam etiã Plinius eo quo diximus cap. imitatus palàm ostendit nõ de Gemma sermonẽ se facere, sed de metallico cæruleo, quod arrosa quadam substantia non tamen lapidea consistere ad oculum videre est, vt vel hinc in confesso esse debeat, iis locis autores illos Diosco-

ridem

ridem, Galenum, Paulumque (dico) non de cæruleo lapide Cyaneáue Gemma disseruisse, verùm de metallico illo cæruleo quo ad generosas imagines pictores vti consueuere (Galli azurum vocant) Sedenim Plinius idem ille libro 37. quem Gẽmis dicauit ita habet, Reddetur & per se Cyanos accommodato pauloante Iaspidis nomine colore cæruleo. Optima Scythica, dein Cypria, postremò Aegyptia. Adulteratur maximè tinctura, idque in gloria regis Aegypti ascribitur, q primus eam tinxit. Diuiditur autem hæc in mares fœminasque. Inest aliquando & aureus puluis, non qualis in Sapphirinis: sapphirus enim & aureis punctis collucet, Cæruleæ & Sapphiri raroque cũ purpura. Optimę apud Medos, nusquam tamen pellucidę. Quibus verbis statim ab ipso limine videatur Plinius vtrunque infundere, cæruleum scilicet metallicũ cum Gemma cærulea. Primũ quidem vel hoc maximè q Scythicæ, Cypriæ & Aegyptiæ rationem habuerit, quemadmodum etiam superiore libro 33. de harenoso cyaneo singulariter agens cyanei Aegyptii,

Scythici & Cyprii meminit. Hinc reuera non mediocrem hos locos video imposuisse difficultatem viris etiam doctissimis, aliis videlicet de vtrisque cõfusè Plinium intelligentibus, aliis de solo harenoso cæruleo hos torquentibus sermones, autorem insimulãtibus damnantibusque tanquàm hanc inter Gemmas harenam malè collocarit. Inter quos Hermola9 ille Barbarus, vir alioqui peritissimus ac de re medica & Plinio optimè meritus (pace tanti viri, pro veritate tamen, dixerim) nescio qua iudicii adumbratione perculsus non veretur Plinium negligentię calumniari. Mihi verò (absit omnis arrogantia) Pliniana lectio rectius consultiusque hoc loco, id est libro 37. cap. 9. castiganda videtur & in hunc modum suo autori reponenda. Reddetur & per se cyanos nomine, accommodato pauloantè Iaspidi colore cæruleo. Vt his scilicet verbis & Iaspidis & Cyanee Gemmæ substantias conuenire quidem, sed colore alterum ab altero discriminari declaret ostendatque, vt & quis è Iaspide Cyaneum lapillum ementiri posse intelligatur si illi co-

Castigatur Pliniana lectio lib. 37. ca. 9.

li colorem cæruleũ addat. Cui & id optimè adstipulatur quod mox subnexuit: Adulteratur (inquit) maximè tinctura. Quòd demũ hoc loci Plinius non de cærulea harena disserat manifestant hæc eius subiecta verba, Inest aliquando & aureus puluis, cũ iis quæ sequuntur quæque suprà retulimus, nam & ea non arrosæ illi harenæ, sed Cyaneæ vulgato nomine Lazuli vocatæ Gẽmę ita adamussim consentanea esse constat, vt nemini dubium (meo tamen iudicio) esse debeat Plinium hoc loci de sola Cyanea Gemma agere: neque etiam facilè credendum fuerit tam celebrem autorem, ac rerum naturalium tam indefessum, acrem ac peritum indagatorem scriptoremque vulgatissimã hãc Gemmam latuisse. Neque etiam vel leuiter suspicandum puto quòd agnitæ nusquàm meminerit, quum præsertim diligentissimum sese naturæ mirabilium perscrutatorem, præconẽ promulgatoremque semper exhibuerit. Sed neque huic nostræ opinioni refragatur quòd iam citatis locis Aegyptii, Scythici, Cypriiq; cærulei meminerit. Quid nanque impedit

vtramque cęruleam harenā dico ac Gemmam Cyaneam tribus iam indigitatis locis oriri : ſedenim libri 33. cap. vltim. Aegyptium maximè probari ſcribit, ſecundo loco Cyprium, nouiſsimo vero Scythicum reponit, quibus acceſſiſſe adnotauit & Puteolanum & Hiſpanienſe. Vbi verò de Cyanea Gēma (quæ ei Cyanos per ſe vocatur) hoc eſt libri 37. cap. 9. ſcripſit, Omnibus Scythicam præferri dicit. Dein Cypriam commendat, nouiſsimam autem Aegyptiam æſtimat. Ecce quam hîc vltimam facit, illic primam effert. Vt & hinc non de iiſdem Pliniū diuerſis his locis ſcribentem intelligere debeas. Quinimo Sapphirum hoc capite cū Cyaneo lapillo poſtea complexus ita infit : Cæruleæ & Sapphiri rarò (vbi etiam coniunctionem que ſemouendam puto) cum purpura & cæt. His ego certe rationibus eo ſum adductus vt Plinium illis locis non de harena Cyanea aut Gēma tantum, ſed lib. 33. de harenoſo cæruleo, libro autem 37. de Cyanea Gemma capiendum exiſtimem. Quis enim (obſecro) tam incerti, aut in Plinium alioqui grauiſsimum

autorem tam infenſo ingenio fuerit, vt ea quæ Cyaneæ Gemmæ (emendata licet lectione) Plinius propalàm tribuit, arroſæ illi harenæ quadrare inaudiat: quam nemo lapidea ſubſtantia vel puluere aureo gloriari rectè quidem dixerit. Potius itaque Lazuli vulgò nuncupatæ Gẽmæ conſentire hæc profectò videbuntur. Cûm ea ſubſtantia ſit lapidea, Iaſpidi ſcilicet germana, aureumq́ue puluerem corã oſtentet. Qua de re ſubinde vehementer mirari ſubiit, hoc loco Plinii ſenſum tot tamq́ue celeberrimos authores Plinianæ lectionis etiam ſtudioſiſſimos hactenus (ꝙ legerim) ita fugiſſe vt vtrumque confuderint magno humanæ conditionis detrimento. Dum nempe apud omnes fere ſeplaſiarios harena pro Gemma in medicãdis corporibus quàm ineptiſſimè vſurpetur. Sed hæc quorſum? Nanque vt melioris doctrinæ gratia omnem de medio tolleremus implicationem, & aliquã Pliniano ſenſui adferremus reſtitueremúſue lucẽ. Eſt itaque Cyanos, Cæruleáue Gemma lapillus ſubſtantia quidẽ Iaſpidi haud abſimilis, colore Cæruleo. Probatur au- *Deſcriptio*

K iii reo

Probatio. reo puluere conſperſa. Vnde & ſtellatum lapidem dici inuenio, quòd ſtellis ſimiliter lumini expoſitus aureo puluere ſcintillet. Præfertur quæ Cæruleum ſui nominis præſtantiſſimum (quem noſtri Azurum vocant) colorem aſſequitur, conſimili vndequaque ſubſtantia & concremento. Lapis eſt ſculpturæ non vſqueadeò contumax. Vidi ego ex eo Cantharidem tam affabrè tamque graphicè conflatam vt eminus veram iudicarem: puluere nimirum aureo tam appoſitè quod in animante fuluum natura fecit imitante, vt eum lapillum ad id muneris procreatum quiuis ſanæ mentis non immeritò iudicaſſet. Porrò quòd ad vires attinet. Aduerſus melancholicos affectus eius pollen toties ablutus dum eius dilutum peregrinum nullum præ ſe ferat ſaporé efficaciſſimè ingeri, literis & experientia confirmatur. Melancholicū enim humorem per inferna deponit. non locus verò cum infernis ſuperiora non citra magnum laborem commouet. Nec deſunt qui pueris à collo geſtatum nocturnos arcere pauores teſtentur. Oculorum

Proprietates.

lorum aciem reficit atque demulcet. Collo appensus prægnantes ab aborsu adserere perhibetur. Volunt autem appetente partu semoueri.

De Chelidonio. Caput XXXII.

CHelidonius vel Chelidonia (vtroque enim genere dicitur) lapillus est paruus perspicuus minimè: è iuuencularum Hirundinum ventre exectus. Mense Augusto, Luna crescente, reperiuntur optimi, magnaque ex parte bini, aliquando autem singuli, in earum scilicet ventriculis aut iecusculis. Dicuntur nanque (autore Plinio) matres exclusis pullis hunc dare lapillum deuorandum. Inuenio & hîc quoque solertissimæ naturæ non supprimendũ miraculum. Nempe quòd illarum pulli per coniuncta rostra in se se reconditas has Gẽmas prodant. Dicunt etiã & has debere erui priusquàm primigenius pullus terram contingat. Quanquàm ne hoc quidem sua vanitate carere putem. Thaos vocari hanc Gemmam Plinius scribit, atque pauonis referre colorem. Hanc & bifariã discriminari tradit

Generationis locus.

Naturæ admirandum miraculum.

Differẽtiæ.

dit, aut enim eſt ruffa aut nigra, vel potius ex pullo nigricans hirundinum vel pauonum collore, minimeque pellucet, ſed aſpectu ingrata viſitur: ſunt & earum aliquæ, parte quidem vna nigricantes altera vero purpuraſcentes, nigris intercurrentibus maculis. Probatiſſimas eſſe cóperio quæ ſubſtantia puriſsima ac ſimpliciſſima ſunt & aureis guttis inſigniuntur. Porrò ſingulæ tametſi iniucundæ ſint & puſillæ magnis tamen virtutibus prædite adſtruuntur, vt & de ipſis rectè id occini poſſit.

Probatio.

Regnat in exiguo præcellens corpore uirtus.

Ruffam ſiquidem ſub ala ſiniſtra geſtatam lunaticos, hoc eſt commitiales, inſanos, & languidos ſanare perhibent. Præterea & facundiam & apud homines gratiam promouere confirmant. Nigricantem verò ſimiliter portatam teſtantur reges & principes cóciliare & cœpta negotia pro animi ſententia abſoluere, omniũque gratiam inuitare. Eius verò ex aqua dilutum oculorum aciem reficere dicunt. Neque ſuperſtitione vacare putem quòd ruffam in panno lineo mundo, nigrã autem

Vires.

tem in croceo tantũ inuolutas ſuis præſtare poteſtatibus nugantur, cui & id accedit quòd parentibus præſentibus erutis vires effluant. Hîc magna mihi profectò inceſsit admiratio de viri cuiuſdã de literis alioqui bene meriti, non leui oſcitantia qui in ſcholiis ſuis in Marbodeum vbi agit de Chelidonia, autorẽ citaturus quò Chelidoniã Gemmam oculis oſtenderet proficere, Plinium adduxit libri 8. cap. 27. & libri 25. cap. 8. & 12. quibus in locis non de Gemma, ſed de eius nominis herba palàm eſt Pliniũ diſſeruiſſe. Siquidem, vt rem per capita ex ordine recenſeamus, ita habet dicti ca. 27. titulus. Quæ animantia quas herbas oſtenderunt cerui, lacerti, & cæt. Demum in contextu de Chelidonia agens ita infit, Chelidoniam vſui ſaluberrimam hirundines monſtrauere, vexatis pullorum oculis illa medentes. Deinde libro 25. vbi conſtat Plinium de herbarum viribus diſceptationem ex profeſſo inſtituiſſe, cap. 8. ſic habet, Animalia quoque inuenere herbas, imprimis Chelidoniam: hac enim hirundines oculis pullorum in nido reſtituunt viſum, vt

quidam

quidam volunt erutis etiam oculis. Cap. denique eiusdem lib.12. posteaquàm Centaurium vtrãque, maiorem scilicet & minorem oculos iuuare tradidit, ita subnectit: Iam Chelidonia supradictis omnib9 mirè prodest. Ex quibus luce meridiana clarius esse cõstat Plinii locos hos ab Amstelredamo nostro citatos non posse ad Chelidoniam Gemmam torqueri, verùm de similis nomenclaturæ herba tantũ debere intelligi. Quæ ideo annotauimus ne quis eius autoritate falsus, in similem errorem impingat.

De Aetite. *Caput* XXIII.

AEtitis quatuor genera refert Plinius vulgato tamen nomine singuli, aquilæ lapides vocantur. Vidi ego cinereo colore Aetiten, alterum albo, tertium pullo. Sonitu dignoscuntur si quatiantur: tũ enim in sese conceptum lapillum manifestè produnt. Lapis est cortice duro, scabro & minimè læui. Sunt qui aquilam in nido marem & fœminam habere adstruũt, negantque illam sine eis oua parere: ideoque solis iis quæ è nidis eius alitis erutæ fuerint

Genera.

Probatio.

Deliniatio.

fuerint vim medicam concedunt. Nihil igne hic lapis deperdere creditur. Porrò Aetites grauidis, quæ ob vteri imbecillitatem fœtum ægrè continent, brachio sinistro alligatur magno earum vsui, parturientibus autem brachio amoueri debet: feminibus ité alligata citra dolorem (notatu dignum) fœtum dicitur extrahere. Nec desunt qui hanc velint statim à partu auferri, ne vterus sequax partum vitiet. Mirum quòd furem prodere fertur si quis in pane códitum offerat: neque enim mansum vel etiá cum ea decoctum quicquam furem deuorare posse confirmant. Tritum & cerato exceptum commitiales strenuè iuuare comperio. Mitto quæ de hoc lapide præstigiosi illi ac toto cælo aberrantes magi nugantur: neque enim vxorũ furta deprehendere, vel futura pręsagire hunc citra incantamenta posse crediderim. Quò ego quæ de furis proditione prænotaui referrem, si non autorum grauitas & fides reclamaret. Virtutes.

De Magnete. Caput XXIIII.

NAtura, vt saxis vocem homini obloquentem, immo & Echo resonantem dedisse videri potest, ita & Magneti sensum manusque tribuisse quodãmodo non ineptè existimetur. Ferri nanque indomita propemodũ pugnacissimaque natura trahenti illi extemplo cedit, vtque propius accessit ab eo continetur & quodam veluti complexu cohæret. Sũt qui ab

Nomina. inuentore ita vocato in India pastore nomenclaturę illius rationem adferant: quibusdam autem Sideritis, aliis Herculeus nominatur. Hîc tametsi in Ida primùm

Genesis. repertus sit, passim tamẽ apud Hispanos in aliis quoque locis nascitur. Qui verò à Troade petitur, qui & albus punici haud absimilis comparet, fœmineus est, & non vsqueadeò efficacis potentiæ, ideoque respuitur. Aethyopicis laus & præcipua cõmendatio, iis pręsertim qui ad cæruleum magis inclinant, quales maximè in Aethyopia Zimiri regione harenosa reperiri inuenio. Aethyopici argumentum est quòd Magnetem quoque alium trahit. In metallis ferreis oritur. Hunc Germani atque

que Itali habent, ferrugineo tamē seu pullo magis colore, quod qua parte cæruleū propinquius refert, acrius trahit. Autor est tamē Diogenianus probatissimū Magnetem argenti adeò similē esse vt incautos facilè fallat, quem & ad maleficia prę-stantiorem esse testatur. Porrò omnibus præfertur qui maximè trahit, & qui vstus Hæmatiten ferè repræsentat. Quòd autem ad vires attinet · Potus triobolorum pondere ex succo fœniculi hydropicis aquam detrahit: ferro item intoxicato vulneratis præsenti remedio subuenit, oculorum medicamentis imponitur, præterea & ad epiphoras, adusta verò cremat⁹ tritusque sanat. Commentitium puto quod de Magnete quidam nugantur. Nempe quòd in somnis ignorantis fœminæ capiti subditus adulteram lecto deturbat, fidelem verò probamque vxorem ad mariti amplexus etiam dormientem prolectet. Vanum insuper nec è republica esse iudico quod quidā Magnetē furibus suo fumo atque nidore vsui esse narrant: scilicet ad furta lapis natus sit. Hîc subit vehementer mirari, admiratione non vulgari di-

Probatio.

Virtutes.

ri dignã huius lapidis tractricem virtutem, qua videlicet ferrum non solũ quod contingit corã trahere, verũetiam & suo collisu similes in id transferre vires trahentes, vnde & aliud quodcunque congeneũ ferrũ conuellere possit, vt viderim nõ rarò plures acus hac ratione sese suspendere, tanquàm scilicet mutuis sese manibus inuicẽ cõprehendissent. Quinimo nõ desunt qui facto periculo affirmare audeant ferrũ à Magnete in libra posito tractũ nihil Magneti ponderis adiicere, ceu nẽpe ferri grauitas vi lapidis absorbeatur. Porrò tractricẽ hanc virtutẽ ab vrsa cælesti Magnetem mutuatũ esse cõiectant, argumento quod acus hoc affecta liberè in solaribus horologiis pendẽs ad vrsam saltem minorẽ ferè moueatur, Magnetis potentiis acũ sequacẽ trahentibus: vrsa verò vtrũque acũ & lapilli in ea virtutẽ, ceu sibi affinem congeneámue, conuellente atque alliciente, eadẽque vi sidus hoc appetente. Quod si ita est facultas illa Magneti cũ ab initio perfusa est tũ perpetuò Vrsæ radiis & influxu vegetatur. Proinde si quis eorũ quæ de lapilli huius trahente pote-
state

ſtate diximus rationẽ expetat, non inſcitè reſponderi poſsit virtutis eius cauſſam eſſe cũ lapilli ſpecificã formã, tum eius germanitatẽ cum ferri natura, & eorũ quidẽ vtriuſque conſenſum cũ Vrſa illa cæleſti, cui & obnoxior ſit lapillus ipſo ferro. Quibus & id adſtipulari video quod ſolũ ferrũ Magnetis viribus patere palàm cõſpiciatur, eaſque cõtumacius retinere perpendatur. Ad hæc ꝙ (autore Plinio) vulnera aſperiora fiunt ferro Magnete contacto. Porrò huic lapidi contrariã inuenio Theanidem Gemmã omne à ſe ferrũ reſpuentem profligantemque. Eſt & Plinio genus aliquod Magnetis vitri liquorẽ alliciens. Lapillo item illi cũ allio diſcordia eſt non obſcura: is ſiquidẽ allio illitus cõuultricem omnẽ facultatem perdere fertur. Diſſidet etiam cum Adamante qui & iuxta poſitus illũ trahere non ſinit, quinimo conuulſum iam ferrũ admotus ilico reuellit. An autẽ vires hæ occultæ mirificæque Cacodæmonũ impoſturis adſcribi debeãt? An non inde auidius admirandus atque laudandus Dominus omniũ creator Deus, ac per ea quæ in hoc lapide fa-

Theanides lapis.

Diſcordia.

cta

ćta ſunt ſempiterna eius virtus & diuinitas magis cognoſcenda, & in mirabilibus ſuis operibus benedicenda, tuum eſto iudicium.

De Hæmatite.

QVando ſuperiore capite Hæmatitis meminimus, non ab re quædã & hîc de eo recenſere operæprecium videtur. Duo itaque Hęmatitis genera Plinius facit, Alterum à Mgnete cognominatum, ſanguineo exterius colore, ideoq́ue tritus ſanguinem refert, ferrum tamen Magnetis modo minimè trahit. Hũc pro verò Magnete à non paucis pharmacopolis damnoſo errore venundari vidimus. Alterum autem Hæmatiten dicit idem Plinius venis rubentibus diſcerni, hoc eſt ab optimo deſciuiſſe iudicari, (ita enim Plinium intelligo) Hic ſiquidem Dioſcoridi probatiſſimus eſt non qui intermiſtas ha-

Probatio. bet venas rubẽtes, ſed qui puro colore (vt eius verbis vtar) niger eſt, durus, in ſe æqualis, & nulla infećtus ſorde nulloq́ue Zonarũ excurſu. Itaque duæ nobis præcipuæ hæmatitis ſpecies relinquũtur. Altera exterius rubens, interius autem nigricans,

cans, vt Magnetis colorem quadantenus imitari videatur: altera verò omni ex parte nigra. Quanquàm nec me fugiat alia etiam à Plinio numerari illius fastigia, verùm duo hæc nostro instituto suffecerint. Neque enim de singulis Gemmis, sed de selectißimis vulgatißimisque differẽdum suscepimus. Porrò quod ad vires attinet: *Virtutes.* Oculis cruore suffusis mirè prodest, Muliebre profluuium sistit, & cũ mali punici succo iis qui sanguinem reiiciunt confert. Vesicæ præterea vtilis est, & serpentium ictibus. Ex lacte oculos à lachrymis vindicat, imo & ipsos procidentes ingenita vi continet cohibetque. Calfactoriæ & extenuatoriæ est facultatis.

De succino. *Cap.* XXV.

VAriæ multùm de succini ortu autorũ sententiæ sunt. Prætermißis tamẽ de eius origine & natura opinionibus diuersis, sed & de eo ridiculis Poëtarum fabulis in India atque Germania Plinius tradit *Genesis.* nasci defluente medulla arboris è pinearũ genere, quemadmodũ è Cerasо gũmi, & ex Picea, resina redditur. Erũpere nanque humoris abundãtia, succosumque primũ

esse, dein verò vel rigore vel tepore autũni densari atque durari cõfirmant, & intumescentibus tandẽ marinis æstibus rapi ac in littora nonnunquàm transportari aduersa. Indeque succino nomen ꝙ pini arboris succus esse credatur, argumento quòd attritũ pineũ refert odorẽ accensumque tedæ modo nidore flagret. At liquidũ primo stillare indicio quidem sunt quædã intus trãslucentia. Porrò succinorũ tria esse præcipua genera literis proditum est. Primũ quod melleo colore conspicitur, secundũ quod Phalernũ vinum, tertiũ quod candidũ refert, quod & odore prę stantissimũ est. Pręferunt quidã Phalernum, fuluũ scilicet ac transflucens consimili vndequaque substantia & concremento, ea tamen lege vt non nimio ardore flagret, sed leuem tantũ ignis ostentet anhelationem, non autem igneum fulgorem adsequatur. Apud multos autẽ albũ odoris illecebra cõmendat. rude quidem primũ & austerũ legitur, tandẽ verò adipe lactentis suis incoquitur, deinde expolitur. Porrò quòd ad succini virtutes spectat: Infantibus pro amuleto ligari, Limpha-

Genera. (margin, beside "rũ tria esse præcipua genera")

Probatio. (margin, beside "similis vndequaque substantia")

phationibus prodesse, ac lotii difficultatibus, inuenio. Præterea in polline exhibitũ albos menses, stomachi fluxiones, ventrisq; ꝓfluuia sistere crebro didicimus experimento, cor & cerebrũ vel odoris præstantia propalàm recreat. Ex melle teritur ad oculorũ finiendas humiditates. Attritum & calfactũ festucas, quisquilias & leuissima quæque allicit & attrahit, præter Ocimi tamen surculos, quos autore Plutarcho, reiicit repellitque vna etiã cum iis quæcunque oleo perfusa fuerint. Succinũ seplasiorũ officinis charabe barbara Arabum voce dicitur. Hoc genere & Lyngurium vel (vt aliis placet) Lyncurium contineri, coloris, substantiæ & proprietatum congenea germanitas, multis persuasit: forsitan enim fuerit secundi generis, hoc est Phalerni ruboré referentis species quędã ardentior. Fabulosum omnino esse suspicio est quod plerisque Gemmarũ perscrutatoribus videtur, Lynguriũ ex Lyncis animalis vrina harena mox à deiectu contecta, solis deinde ardore concreta ac durata consistere. *Potentiæ.* *Lyngurium.*

De fictitiarum à ueris Gemmis differentia, & dignoscendi ratione. Caput Vltimum.

NOn mediocrẽ fidei ac maiestatis partem Gemmis ademit de republica pessimè meritorũ hominũ pertinax auaritia & luxus. Quandoquidem inde factũ est vt tam subtili dolo ferè omnis generis Gemmę adulterentur vt à fictis veras dignoscere vix sit aliquis modus. Sũt quippe qui ex veris, at vilioribus, alterius generis lapillos emẽtiuntur, vti iã vsus percrebuit multo cõtumacique igne Sapphiro Adamantẽ fingere, & tanta arte imitari, vt multis hic fucus nõ rarò impostaram faciat. Vocantque Albã Sapphirum. Quibus longè perniciosiores sunt, qui nitro, vitro ac aliis vilissimis materiis adiecto coloris mendacio, optimas ita æmulantur vt sua nequitia naturæ opus, sagacissimamque & inuincibilem artem, tantum non assequantur, qui vtinam à republica amandarentur: suis nanque id genus fallaciis tã huic quàm autoribus qui solerti studio & diligentia de verarũ Gẽmarũ natura & viribus doctissimè disseruerunt, ita quidẽ imponunt, vt dũ qui e-

mentitas

mentitas decepti, pro Germanis emerũt, easque iis non esse præditas facultatibus deprehendũt, quibus philosophi naturales donatas esse confirmarunt, & Gémas & de ipsis definientes autores vel vilitatis vel mendacii atque temeritatis damnent, vt etiam plerunque malè audiant qui certissimas absolutissimasque cõmendant. Vt itaque impostorum vitari queant scelestissimi fuci, paucis Gemmarũ probandarum rationem persequi libet, vbi primum te monuerimus & has multo æuo senescere, proindeque & gratiam & vires sensim multis seculis deponere. Pellucentes igitur lapilli sereno ac matutino cælo: omnino autem in horam quartã probari debent. Re nanque compertum est iis horis ac aëris constitutione penitius longè introspici posse quicq̃d vicii habeãt. Porrò & pondere internosci cõperio, quanquàm & hîc diuersas multum authorum esse sententias animaduertam: nonnullis enim placet generosas grauiores esse, aliis contra sentientibus, eas scilicet leuissimas minimique ponderis esse, quod & facto periculo deprehendi. Nec id citra rationé

Gemmas tandẽ senescere.

Hora probandis Gẽmis opportuna.

Generosæ minoris ponderis.

fuerit. Vel hoc pręsertim nomine quòd fictitias cum ab ignobiliori adeoque & minus efficaci agente, tum ex longè obscuriori ac magis terrestri substantia fieri palàm sit, quibus etiam Plinius adstipulatur libri 37. cap. vlt. Experimenta (inquit) pluribus modis cõstant. Primũ pondere grauiores sentiuntur. Post hæc corpore, ficticiis pustulæ in profundo apparẽt, scabritia in cute & capillamento, fulgoris inconstantia & cæt. Quibus corã ostendere videtur ꝙ à falsis intelligat veras pondere superari. Cui & id suffragatur quòd Margaritas pręfert quę min⁹ graues sunt. Examinantur denique & corpore. Emẽtitis quippe bullæ in profundo cõparent, quas & scabra cute & capillamentis, staminum tenuissimorũ instar intercursantibus, conspicias: fulgore item inconstante atque iniucundo, nitore videlicet priusquàm aciem cõplectatur elanguido. Certissimarũ siquidem splendor colórue non in facie tantũ (vt in adulterinis) sed & per omne corpus, quibusuis etiã forma & situ gratissimæ iucundissimæque visuntur, ceu scilicet ad sui decoris spectaculũ blanda qua-

Bullæ emẽtitas ostendunt.

Fulgoris inconstantia.

da quadam oculos alliciant comitate, quò nanque diutius inspiciuntur, hoc magis delectat, ac gratiæ nó inefficaci illicio obtutus explent. Laudatæ item limam non capiunt. Vt vel hoc solo veras à falsis dispescere mangonum magna pars norit. Sunt tamen qui Smaragdum & Topaziũ excipiant. Deinde & ignibus propinquæ non spuriç illæsæ euadunt. Excepto tamẽ Chrysolectro igniũ rapacissimo. Ad hæc duriores maximè commendantur, nimirũ quòd lapidi propria sit durities. Quòd autem ad optimarum delectum pertinet. Aequalibus cauas vel extuberantes postponunt. Oblongas quadratis prætulit antiquitas, verum nunc anteponũt quadratas, vt quibus angulosis minima olim fuerit autoritas, nũc versa vice clarior sit gratia. Illas sequuntur quæ lenticulæ forma, deinde quæ triangulæ, omnium vero nouissimæ æstimantur rotundæ, quãuis forsitan omnibus prçferri deberent si figuræ rationem spectes. Nostris quoque his lucubratiunculis ad vmbiculũ tandem perductis, Postremò te quoque, beneuole lector, admonere visum est, nil tibi mirum

Argumentum à lima.

Experimẽtũ ab igne.

Laudatarũ electio.

esse debere ꝙ Gemmas quandoque masculino, aliquando autem fœminino genere scripserim, nimirum cùm vtroque genere ac promiscuè illas collocari apud classicos autores crebrò legere sit. Cuius quidem rei vel vnicus mihi testis & autor est idoneus Galenus ille Medicorum ab Hippocrate abundè princeps, libro nono simplicium pharmacorum.

FINIS.



CLARISSIMO AC ERVDITISSIMO VIRO Francisco Rueo Medico, Insulis artem Apollineam profitenti, frater Paschasius Balduinus canonicus Phalempinensis S. P. D.



Erlecto libello quem de viribus ac natura Gemmarũ nuper elaborasti, non potui tibi non gratulari optime Francisce, hoc à te argumenti genus esse tractatũ ac illustratum, tum quòd tuã professionem non dedeceret eiusmodi studiorum inquisitio, tum quòd nos quibus potissimùm sacris operã nauare opus est, permolesta animi anxietudine atque labore leuaueris. Ea enim nonnihil ad sacra pertinere nullus, reor, inficias ibit, quũ tã sedulò ac seriò illis interserantur, ac ordine disponantur. Atqui penitius ista exquirere, quia per varia prophanorũ scripta disperguntur atq; ea mente ab eis explanantur vt ad temporale commodum proficiant

proficiant, per ocium nobis non conceditur. Sed & pontificiis decretis plus nimio eisdem incũbere vetamur, cogimur quoque præscriptis diuinis sacras euoluere literas. Scrutamini scripturas, inquit ipse
Ioan.5. sacrosanctorũ oraculorum conditor, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere. Quas haud dubium, quin sacras & eas solas intelligat, vt satis aperit ille concionator egregius qui ad tertium cælum raptus, non ab homine Euangeliũ didicit.
2.Timo.7. Sacras literas, ait ad Timotheũ scribens, nosti, quę te possunt instruere ad salutem. atque paulo post subiungit. Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendũ, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. Et quanquàm omnibus indiscrimi-
Luc.13. natim id præscribi videatur, iis tamen serius in primis proponitur qui cõstituuntur super Christi familiam vt dent illis τὸ σιτομέτριον, hoc est, tritici mensuram, vel proferant de thesauro suo noua & vetera.
Matth.13. Cùm itaque tui libelli materiã partim sibi sacra adscribant, partim prophana arrogent

rogent, non ineptè dixerimus, nobis qui ministeriis sacratioribus peculiarius mācipamur ac dicati sumus, eā impigrè conquirendam, modò per solertiam eorum, quibus huius sacri muneris onus non est impositum, explicatior & enodatior proferatur. Eo etenim pacto seruatur illa corporis mystici à diuo Paulo deliniati cōpago, dum pro accepta à summo largitore facultate, vnūquodque membrum suas exerit vires, ac congruentissimis nexibus aliud alii cohæret. Multi, infit ille, vnum corpus sumus in Christo, singuli autē alter alterius membra. Cuius corporis & membrorum eius connexionem ac variā muniorum functionem facile est cernere in eiusdem sacri scriptoris Epistolis, hoc est in ea quæ est ad Roma. cap. 12. atque in priore ad Corinth. cap. 11. item. 12. quamobrem his prolixius recensendis, quū non magnopere ad rem præsentem pertineant supersedendum iudico. Ad tuas lucubrationes redeo. Quòd dum Ioannis ἀποκαλύψιος locum tibi potissimum delegeris, ibique traditum ordinem tenueris ac deinceps cæterarum Gemmarum quæ celebriores

briores habentur, non omiſeris elucidationem, maximè probo. Certiſſimũ enim ac ſolidiſſimum locum qui in diuinis literis habetur, & qui tuo congrueret inſtituto ſelegiſti, vtpote cuius interpres & autor idem eſſet de quo ambigere nephariũ ſit. Illa autem nomenclatio quæ in Exodi libro digeritur cap. 28. incertior ob variã interpretũ tranſlationẽ, & diuerſas ſcriptorum opiniones habetur. Si voces Hebraicæ perinde cõpertę eſſent atque Græcæ nulla fuiſſet eligendi ratio, niſi fortè quia hæ ad ſacerdotalium ornamentorũ ſplendorem, illæ autem ad ciuitatis diuinæ cultum & ornatũ pertinet. Nunc quia Hebraicus ſermo pauciſſimis fuit agnitus qui externarum linguarum habuere peritiam, tum ob vetuſtatem, tum ob ſolitariã Hebræorum vitam qui ab aliis gentibus ſegregati, earum commerciis rariùs vterentur. Gręcus autem tam nobis familiaris vt in quotidianum vſum noſtrũ tranſierit, meritò quod hic vſitatũ habetur præ altero tibi in explanationis materiã ſumpſiſti, ne ambiguis fundamentis iactis totum quod ſuperſtrueretur vacillaret. Hebræi

bræi ſiquidem, maximè huius ętatis, tanta caligine in horum notitia cęcutiunt, vt pluſquã talpas exoculatos credere fas ſit: niſi fortè quorũdam lapillorum Hebraica vox in externam linguam deriuata antiquæ veritatis veſtigia etiam cæteris nationibus reliquerit, ac inde à primis auis ad nos vſque permanarit illorum incolumis nomenclatura. Quorum præter Sapphirum qui ipſis vniuocè quoque dicitur, & Iaſpidem iaſpeh nominatum, nullũ crediderim hac ratione cognitũ: tametſi etiam in Iaſpide aliud interpretes nonnulli ſentiãt, eundem in berillum vertentes, cæterorum nomina ad linguam noſtram tranſlata variant, aliis alia ſuſpicãtibus. Vnde non ſatis compertum habetur an idem diuus Ioannes ſacris illis gẽmis antiquitus per Moſen proditis alludere vel conuenire voluerit, quandoquidem in nominum deſcriptionẽ cũ interpretibus antiquis non plurimum diſſentit, hoc eſt tantum in carbunculo, achate, ligurio & onychino, quarũ vice calcidonium ſiue carchedoniũ, ſardonicen, hyacinthum & chryſopraſum conſtituit, vt

non

non satis liquidum sit de interpretũ fide, quum iam omnis illorum versio in dubiũ â nonnullis vocata sit. Arbitror tamen illum non eosdem lapillos adiicere voluisse, quum onychis, qui apud Mosen inter duodecim Gemmas memoratur nullam mentionem fecerit, quē plerique omnes eo nomine ab Hebraica voce scoham traslatum vocitant: nisi fortè sardonicen isdem Ioannes pro illo statuerit, quod Iosephus agere videtur. Cuius onychini lapilli in tuo opusculo vix recordatus es, quum tamen præ cæteris in veteri instrumento eius mentio frequētius repetatur. Arbitror id consultò tibi accidisse, quòd maligniori s sit naturę, nec inter celebriores Gemmas supputetur, neque tantæ sit dignitatis & vsus vt curæ tibi fuerit illum enucleatius explicare. Quod idem in Lincurio, quem nostrates theologi aut physiologi ligurium appellitant efficere visus es, nisi quòd succini naturã demonstrans eius aliquantulum memineris. Porrò cæterorũ qui sacris libris continentur, quos tamen Apocalypsis non habet gaudeo te non fuisse oblitum, quatenus non minus

Probatio.

è re

è re theologica fuerit, hos noſcere quam illos. Carbūculum & achaten Exodus liber cap.28. atque Ezechiel nobis exhibēt, adamas quoq; ab eodem Ezechiele cap. 3. & à Zacharia vſurpatur, quãuis hoc poti⁹ interpreti Latino quàm veritati tribuerim. Neque enim Hebraicus ſermo ibi permittit Gemmam omnium nobiliſſimam intelligi quū durities indidem tantum, non præ ſignis eminentia petatur, vt etiam ſit è ſilice illic memorato. Intellexerim itaque pro illo aliquod ſaxi genus quod etiamnum Græcus interpres oſtendit in petram eam vocem vertendo. Sunt qui in Exodo ac Ezechiele loco Iaſpidis adamantem collocent, tanta eſt Hebræorum oculis offuſa caligo. Necnon ſunt alii pro vitro quod Iob cap. 28. ab interprete poſitum eſt vocem Hebraicam Zecucith in adamantem vertendam autument. Idipſum penè in omnibus Gēmis reliquis vſuuenit Hebræis vt ſubinde nouam vel aliam pro alia excogitent: ſic ſunt cæci errorum magiſtri, quibus illæ diræ à ſacro Pſalte profuſę imputantur. Obſcurentur, inquit, oculi eorum ne videāt. Eſt quoque eodem

Probatio.

Virtutes.

eodem cap. Iob vocabulum quod in corallium trahunt quum nuſquàm in ſacris habeatur:id autē eſt pro quo excelſa traduxit interpres Latinus, minus conſyderatè vocem Hebraicam pro altera ſumēs. Inuenimus quoque alterā vocem, in eminētia in eodem cap. verſam, quam etiam volunt eſſe cuiuſdam Gemmæ ſymbolū, gabis ea dictio ſcribitur. Hæc autē dixerim vt tuum conſilium approbem, qui diui Ioannis Gēmis explanandis, reliquas etiam vſu & dignitate celebriores non omittēdas cenſueris, in queis eas quæ ſparſim in diuinis literis legūtur, tametſi clarum non ſit quæ ſint, veriſimile fuerit cōtineri. Non abnuerim tamen illud primū ſeculum, quo ſacræ conditæ ſunt ſcripturę, hoc eſt Moſis ætate, nō vſqueadeò fuiſſe edoctum vt omniū Gemmarum pernouerit naturas & vires, quū inficiari non queamus illud tunc primum omnem ruditatem exuiſſe, & perſpicuum ſit, ab ætate Plinii nō parum immutatam eſſe earū Gemmarū æſtimationem, & quibuſdam non parum precii acceſſiſſe, quū eo tempore primum vel ſecundū dignitatis locū

obtinerent

obtinerent vniones, nunc auté vix quartũ sortiantur, H-s, id est sestertiũ centies vna Cleopatræ Aegypti reginæ Margarita: quæ summa non minus ęstimatur ducentis & triginta quatuor milibus, trecentis quoque & septuaginta quinque ducatis. Potuerũt itaque eo rudi seculo Adamantes & nonnulli alii lapilli primę nunc iudicaturæ fuisse ignoti, & qui maximæ tũc dignitatis fuére, temporis accessione, nobilioribus cedere cœperunt. Ecce quò me protraxit tuus de Gẽmis & lapillis operosus labor. Cernis quis tandem Epistolæ finis erit, si cuncta examussatim pergam edicere quæ fœcundum hoc tuum argumentũ parere possit, si mysticas à singulis Gemmis significationes eruere parem, si duodecim fundamenta his lapillis ornata, portasque singulis Margaritis extructas, theologorum more, ad morum fabricam & sacramentorum expressionem trahere velim. Quem hæc contemplatio, atque tam decori habitaculi adumbratio ad vitæ purioris splendorem non pertrahat? quis prauos mores ad rectitudinis lineam huius ciuitatis tam speciosæ desy-

derio non corrigat? quis tam obesæ mentis & hebetis ingenii, qui non ex his perpendat, quanta mundicie præpolere debeant ciuitatem tantis ornatam miraculis ingredi cupiētes, quum nihil coinquinatum, vt palàm diuus ipse Ioannes asserit, in illam recipiēdum sit. Iam paulisper non pigebit animum attendere in eos qui horum lapillorum gestaminibus gaudent onerari, vel vt se ad exercitia spiritalia inde promoueant, quod in illis mirificis vestib⁹ quas sacerdoti magno apparatas legimus, factum credimus, vel vt eorū fulgoribus sese venditent apud vulgus ignobile gloriolam quampiam ex his captantes, & quiddam diuinum sibi arrogantes, quod Tyrio regi impingit propheta Ezechiel, quem in medio ignitorum lapidum ambulasse sugillat. de quo paulo ante dixerat, Eo quòd eleuatum cor tuum quasi cor Dei: & pòst, omnis lapis preciosus operimētum tuum. Eiusmodi homines quis nō fateatur degeneris esse animi, qui propriis ornatibus priuati, hoc est virtutibus denudati, exoticos & externos cultus ascíscunt, tiaras, digitalia, cingulos, & quid non

non, frequẽtissimis lapillis infarciũt: perinde ac si in illos vertẽdi essent, animi natiua ornamenta fastidientes. His hominibus si vel mentis mica inesset, cura diuersa, ea nimirum quæ omne facticiũ & commentitium aspernatur, in primis appeteretur, qua honestos mores illis ipsis lapillis designatos induere satagerent. Excellens quidem naturæ opus & non exiguum miraculum est Gemmarum natura & vis, si spectetur materiæ temperamentum & quædã lucis cum elementari crassitie copulatio, & eo præcellentius quo durabilius: & tam est mirabile, vt ipsa natura suam totam vim in earum opificium collegisse ac effudisse videatur. Quamobrem has gestaturis, quia summopere intuentium oculos alliciunt, expedit, vt in cuiusdã insignioris operis symbolum aut signũ adsumantur, quo mẽs haud in paucis naturæ gradib⁹ illas præcellens vegetior, & ad suæ operationis promptitudinem accõmodatior reddatur & ad æternam beatitatem, ad quam benignus conditor illam destinauit compẽdiosius perueniat. Hoc præcipuum horum lapillorũ

munus crediderim, quod si defuerit, indignum prorsus celsitudini humanæ gestamé poterit iudicari, ne vnde corpus quod corrumpitur ornatũ aucupatur, inde maius dispendium animus cælestibus natus incurrat, & ne nimiò lapillorum fulgetris addictus, lapideus etiã ipse animus euadat, ac proinde à sua conditione decidat: nec ab iis honoris subsidium quęrat, quibus ipse opinioné honoris elargitur. Hac ratione agnoscant reges & pontifices & quicunque horum gestiunt adiacenti luce gloriosiores apparere, eorundem vires, illasque ad animi vegetationem transferãt, vt in Sapphiro sit castitas & cœlestium amor, in carbunculo ardens charitas, in Adamante iustitiæ constãtia, in Smaragdo facilis humanitas, & in cæteris simile aliquid quod menti virtuté tribuat, ne quiddam simiaticum referant, hoc est, ne sicut simia in purpura fastum quendam ostentent & se ridendos prębeãt. Nolim tamen salubres Gẽmarũ vires attenuare, corporibus humanis oppidò quàm profuturas, si commodè illis applicentur. Quas vires & proprietates vt reliquarum rerũ, cor-
pori

pori humano conducibiles, fuerit physi-
corum vestigare, illa verò signa quæ men
tem moueant, theologorum: vt in eadem
re tractent medica physici, & diuina theo
logi, atque sic vnumquodque membrum
in mystico Christi corpore, suo munere
dignè perfungatur. Vides optime Fran-
cisce tui libelli lectione me non parum
fuisse delectatum, qui tot verbis gaudium
testatum reliquerim, & affectus hos velut
œstro percitus vel potius numine afflatus
ediderim, ne prorsus perditum laborem
tuum autumes. Nam si eiusmodi fructus
neutiquàm sequantur, frustra fuerat à sa-
cris tuum argumentum petisse, quando-
quidẽ luce clarius est in his Gemmas esse
memoratas non vt corpori decorãdo ser-
uirẽt, sed animi virtutibus vel cõquirẽdis
vel cõseruãdis proficerẽt. sed neq; alioqui
plurimũ decuisset eundẽ libellũ cuiuis ἱε-
ρουργούντων dicare, quibus sacra tractare
semper incumbit, sed neque me censorem
statui oportuisset, cuius vires tantę rei ex-
pediendę impares sunt. Nõ pauca etenim
è philosophorum adytis, nõnulla è theo-
logorum placitis in mediũ deduxisti, de

 quibus

quibus certum ferre iudicium difficile fuerit, quãdo nec summus philosophus possit omnibus his sufficere, & theologus interdũ conniuebit, nonnunquàm dissimulabit, modo nihil sit oraculis cęlestibus ac ecclesiasticis dogmatibus repugnãs. Eiusmodi sentimentorum nonnunquàm narratorem non assertorẽ suspicio, quòd habeas non infimos autores quibus acceptũ feras quod expromis & quibus te tuearis, quum liberũ sit in plerisque vtrãque partem fouere. De quibus nunc esset longius quicquã differere, præsertim quum probè calleas quid intus habeam. Relinquo sua astrologis apotelesmata, theologorũ turbam non modò refragantem, sed manibus pedibusque illò adrepẽtem interim dissimulo, de quibus nihil mihi libet nũc scribere, quando prolixior ipse fuerim q̃ putaueram, pręsertim tibi occupatissimo, cuius seria interpellare, piaculi quiddam refert. Meo iudicio non ineptè retorsisti telà quibus appetiebaris in eum qui tam scitè putabat te confecisse atque tibi vocem abstulisse, vt ne quidẽ γρῦ esset quod suis aphorismis posset obiici. Sic sunt humanæ

manæ ſententię imbecilles. Habes ea quæ veluti temerè mihi pro ſenſiculo meo exciderunt: tuum erit vel Vulcano dicare, vel ſcombris accommodare, aut ſi videtur tineis ac blattis exedendum tradere. Scias tamen ab amico & ſyncero corde ea prodiiſſe. Meis votis æternum valebis, quæ Dominus Deus precor impleat. è Falempinenſi cœnobio.

Tuus Paſchaſius
qui ſuprà.

9